

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

Qui D. Johannis Gerhardi Continuationis Partes Tertiam, Quartam,
Quintam, Eamque postremam complectitur - Denuo nunc in Lucem prodit,
Cum jndicibus ...

**Gerhard, Johann
Chemnitz, Martin
Leyser, Polycarp**

Hamburgi, MDCCIII

VD18 90617819

Caput CCXIII. Christus Denuo Apparet Apostolis Die Post Resurrectionem
Octavo Praesente Thoma.

urn:nbn:de:gbv:45:1-17617

dibus nostris spectrum quoddam loco veri Christi objicit, hoc est, quando Christum ex lege nobis pingit ut severum judicem ac vindicem, qui peccatores à se repellat & flammis infernalibus adjudicet, tunc pavor & tremor nos opprimunt: sed quando Christus voce Evangelii nos alloquitur, dicens: *Ego sum*, quando vestigia vulnerum suorum nobis ostendit & veritatem humanæ Naturæ, juxta quam est frater noster, considerandam proponit, tunc remota spectri opinione verum Christum intuemur & gaudio spirituali perfundimur. Hoc verò gaudium in hac vita non est plenum & perfectum, quia Diabolus non cessat nos suis spectris & præstigiis terrere, sed quando in vita æterna à facie ad faciem ipsum, sicuti est, intuebimur 1. Corinth. 13. v. 12. 1. Joh. 3. v. 1. tunc demum solidum & sincerum erit cordis nostri gaudium, quod nullâ tristitiæ ac terroris mixturâ amarescet, quodque in æternum nunquam teperet. In hac vita idem nobis contingit, quod Apostolus hic contigisse Lucas commemorat, quod videlicet nondum crediderint, puta plene

& perfectè remotâ omni dubitatione, sed mirati fuerint, perinde ut olim Patriarcha Jacobus audiens à suis filiis, Josephum in Ægypto vivere ac dominari, non crederet eis præ gaudio & rei, quæ nunciabatur, magnitudine. Genes. 45. v. 26. ita quoque majestatem & copiam beneficiorum cœlestium, quæ in verbo Evangelii nobis offeruntur, & in Christo gratis donanda promittuntur, angustia cordis nostri non potest complecti, ideo præ gaudio nondum plene & perfectè credimus, sed miramur; obstat nobis consideratio nostræ indignitatis, quò minus certò ac firmiter statuamus omnibus dubitationum spectris ex corde penitus remotis, etiam ad nos summa illa beneficia Christi passionè ac morte promerita verè pertinere, inde etiam gaudium nostrum non esse plenum & perfectum, sed quando remoto carnis velo Christum videbimus, tunc demum perfectè & sincerè in æternum gaudebimus.

*Moror abi, valeant cursu, mea gaudia Christus,
E tumulo pacem latitiã, refert.*

CAPUT CC XIII.

CHRISTUS DENUO APPARET APOSTOLIS DIE POST RESURRECTIONEM OCTAVO PRÆSENTE THOMA.

JOHANN. 20. v. 24.

RATIO ORDINIS.

Seriem connexionis ostendit Evangelista, quando dicit, hanc manifestationem die octavo post priores esse factam. Manifestatio circa mare Tiberiadis hanc secuta est, ut colligitur ex eo, quòd Johannes dicit, *post hæc*, iterum se manifestavit Jesus discipulis ad mare Tiberiadis cap. 21. v. 1. Neque quicquam apud reliquos Evangelistas occurrit, quod inter priorem & hanc ipsam Historiam medio loco inferi possit aut debeat. Quòd enim attinet manifestationem factam Jacobo, cujus meminit Paulus 1. Corinth. 15. v. 7. ea, si velimus ordinem textus sequi, contigisse intelligitur, non uno vel altero post resurrectionem die, sed post magnam & generalem illam apparitionem, quæ in Galilæa coram fratribus plus quam quingentis facta est. Hoc enim ordine Apostolus manifestationes Christi recenset, quod 1. visus sit Cephâ sive Petro, 2. duodecim Apostolis, 3. plus quam quingentis fratribus simul, 4. Jacobo, 5. Apostolis omnibus immediatè scilicet ante ascensionem, 6. sibi tanquam minimo Apostolorum scilicet post ascensionem. Cùm verò inter Apostolos duo fuerint Jacobi, alter filius Zebedæi, frater Johannis ab Historicis dictus *Jacobus major*, quem Herodes gladio occidit Act. 12. v. 2. alter filius Alphæi dictus cognomine Justus, & frater Domini, Galat. 1. v. 19. *Jacobus minor* Marc. 15. vers. 40. qui referente Eusebio fuit constitutus Episcopus Ecclesiæ Hierosolymitanæ, tandem

ex pinna templi dejectus, lapidibus obrutus & instrumento fullonis percussus &c. quæritur, utri horum seorsim Christus apparuerit? Paulus id manifestè non explicat, sed scriptores Ecclesiastici uno ore testantur, Christum apparuisse Jacobo Alphæi filio, quem Paulus vocat *fratrem Domini*, Galat. 1. v. 19. hoc est, consobrinum, quia Mariæ Alphæi uxor fuit soror uterina Mariæ *fratris* Joh. 19. v. 25. Hieronymus in catal. script. Eccles. in Jacobo cap. 2. ex Evangelio Nazaræorum in Græcum & Latinum sermonem à se translato, de hoc Jacobo scribit, *quòd juraverit, se non comesturum panem ab illa hora, quâ biberit calicem Domini, donec videret ipsum resurgentem à mortuis, itaq; Christum postquam resurrexisset, apparuisse ei & dixisse, Frater mi, comede panem tuum, quia resurrexit filius hominis à dormientibus.* Sed hac ratione manifestatio facta Jacobo vel in ipsum resurrectionis diem, vel tempus proximè sequens referenda esset, cùm ultra dies tres vel quatuor plenum jejunium sine insigni læsione valetudinis protrahi nequeat. Hanc ergo Hieronymi relationem ex libro Apocrypho desumptam & descriptioni Evangelistarum non satis congruentem meritò improbamus. Baronius in annal. ann. 34. numer. 183. narrationem illam Hieronymi amplectitur, cum non sit ex apocrypho libro petita. Quasi verò Evangelium imò hæreticorum Ebionæorum proprium & ab ipso Papa Gelasio inter reprobos libros nominatum

minatim computatum. Quare seorsim Petro & Jacobo Christus apparere voluerit, ex Scripturis haud constat; nisi velimus dicere, quòd, quem admodum præ reliquis Apostolis ad spectanda singularia opera à Christo jam ante fuerint adhibiti, utpote ad resurrectionem filiae Jairi Marc. 5. v. 37. ad clarificationem Christi in monte Matth. 17. v. 1. & ad

agoniam ejus in horto Matth. 26. v. 37. Marc. 10. v. 35. ita quoque post resurrectionem hunc honorem Christus ipsis exhibere voluerit, ut seorsim illis appareret. Petri fides speciali isthac confirmatione indigebat, idem in Jacobo Christus καρδονογώσῃs dubio procul vidit, propter eandem causam in gratiam Thomæ hoc loco discipulis iterum apparet.

HISTORIA DE MANIFESTATIONE CHRISTI FACTA APOSTOLIS DIE POST RESURRECTIONEM OCTAVO PRÆSENTE THOMA.

JOHANN. 20.

- 24. Θωμᾶς ἦ εἷς ἐκ τῶν δώδεκα, ὁ λεγόμενος διδύμος, καὶ ἦν μετ' αὐτῶν, ὅτε ἦλθεν ὁ Ἰησοῦς.
- 25. Ἐλεγον ἐν αὐτῷ οἱ ἄλλοι μαθηταὶ ἑωράκαμεν τὸ κύριον, ὃ ἔειπεν αὐτοῖς, ἐὰν μὴ ἴδω ἐν ταῖς χερσὶν αὐτῶ τὸν τύπον τῶν ἡλῶν καὶ βάλω τὸν δάκτυλόν μου εἰς τοὺς ὕψους τῶν ἡλῶν καὶ βάλω τὴν χεῖρά μου εἰς τὴν πλευρὰν αὐτῶ, ἢ μὴ πισεύσω.
- 26. Καὶ μετ' ἡμέρας ὀκτῶ πάλιν ἦσαν εἰς μαθηταὶ αὐτῶ καὶ Θωμᾶς μετ' αὐτῶν, ἔρχεται ὁ Ἰησοῦς τῶν θυρῶν κεκλεισμένων καὶ ἔστη εἰς τὸ μέσον καὶ εἶπεν, εἰρήνη ᾖ ὑμῖν.
- 27. Εἶτα λέγει τῷ Θωμᾶ, Φέρε τὸν δάκτυλόν σου ἕδε καὶ ἴδε τὰς χεῖράς μου, καὶ φέρε τὴν χεῖρά σου καὶ βάλω εἰς τὴν πλευρὰν μου καὶ μὴ γίνῃς ἀπιστός, ἀλλὰ πιστός.
- 28. Ἀπεκρίθη ὁ Θωμᾶς καὶ εἶπεν αὐτῷ, ὁ κύριός μου καὶ ὁ θεός μου.
- 29. Λέγει αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς, ὅτι ἑωράκαός με Θωμᾶ πιστεύσῃς, μακάριοι οἱ μὴ ἰδόντες καὶ πιστεύσαντες.
- 30. Πολλὰ μὲν ἐστὶ καὶ ἄλλα σημεῖα ἐπίσσει ὁ Ἰησοῦς ἑνώπιον τῶν μαθητῶν αὐτῶ, ἀ καὶ οὐ γέγραμμένα ἐστὶν ἐν βιβλίῳ τούτῳ.
- 31. Ταῦτα ἔγραψα, ἵνα πιστεύσητε, ὅτι ὁ Ἰησοῦς ᾔθιεν ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ καὶ ἵνα πιστεύοντες ζωὴν ἔχητε ἐν τῷ ὀνόματι αὐτῶ.

- 24. Thomas autem unus ex duodecim, dictus didymus, non erat cum eis quando venit Jesus.
- 25. Dixerunt ergo ei alii discipuli, Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Nisi videro in manibus ejus vestigium clavorum & mittam digitum meum in vestigium clavorum & mittam manum meam in latus ejus, non credam.
- 26. Et post dies octo iterum erant discipuli ejus intus & Thomas cum eis, venit Jesus januis clausis, & stetit in medio & dixit, Pax vobis.
- 27. Deinde dicit Thomas, infer digitum tuum huc & vide manus meas & admove manum tuam & immitte in latus meum & noli esse incredulus, sed credens.
- 28. Respondet Thomas & dixit ei, Dominus meus & Deus meus.
- 29. Dicit ei Jesus, quia vidisti me Thomas, credidisti. Beati qui non viderunt & crediderunt.
- 30. Multa quidem & alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quae non sunt scripta in libro hoc.
- 31. Haec autem scripta sunt, ut credatis, quod Jesus est Christus ille Filius Dei, & ut credentes vitam habeatis per nomen ejus.

Periocha hujus Historia.

Zach. 13. v. 7. extat egregium de passione & resurrectione Christi vaticinium. *Franca suscitare super pastorem meum & super virum, qui mihi proximus est, dicit Dominus exercituum, percutie pastorem & dispergentur oves gregis, & convertam manum meam ad parvulos;* hoc Christus Matth. 26. v. 31. Marc. 14. v. 28. in ipso passionis auspicio sibi accommodat, ipse enim est Pastor ille fidelis ac bonus, qui animam suam posuit pro ovibus suis. Joh. 10. vers. 11. Ut autem Pastore in fugam coniecto vel occiso oves dispergantur: ita discipuli instar trepidarum ovicularum disjecti ac dispersi sunt, cum Christus in horto oliveti captivus ad mortem duceretur. Sed post suam ex mortuis resurrectionem fidelis hic Pastor disperfas ovicularum iterum collegit, sive ut Propheta loquitur, *convertit manum suam ad parvulos*, hoc est, ad discipulos, qui in fide adhuc erant infirmi & parvuli. Insignis illius pastoritiae cura & fidelitatis exemplum in hac Historia proponitur, siquidem *Harm. Tom. III, vel Gerhard, Cont. pars quinta.*

Christus Thomam velut errantem oviculam requirit & ad gregem iterum reducit. Partes ergo hujus Historiae duae sunt: *Thomas scilicet aberratio, ejusq; ad gregem reductio.* Primo exprimitur *Persona*, quam fuerit ovicula ista à grege aberrans, nimirum *Thomas, unus ex duodecim dictus geminus.* Thomas $\Theta\omega\mu\alpha\varsigma$ deducitur à $\Theta\omega\mu\alpha$ geminus fuit, *congeminatus est*, inde $\Theta\omega\mu\alpha\varsigma$ & litera α deficiente $\Theta\omega\mu\alpha$. Syr. $\Theta\omega\mu\alpha$ gemelli Gen. 25. v. 24. c. 38. v. 27. Cant. 4. v. 6. ideo ipse Evangelista hoc nomen interpretatur, quod dictus fuerit *didymus*, geminus, duplex $\delta\iota\delta\upsilon\mu\alpha\varsigma$ duo, dicuntur enim *didymoi*, qui *δι᾽ ἑξῆς* $\delta\iota\delta\upsilon\mu\alpha\varsigma$, qui gemini unoque partu ex utero matris emerferunt, ac tribuitur hoc nomen Thomae, sive quod revera fuerit gemellus, sive quòd hoc nomen arbitrarie in circumfusione sortitus. Glossa deducit à $\Theta\omega\mu\alpha$ abyssus, quia *dubitando profundius novit.* Sed cum Evangelista difertam notationem nominis *R r*

addiderit, frustra quaeritur alia. Lyra suspicatur, ipsum fuisse de tribu Benjamin de cognatione Gemini, sed cum nomen gemini hoc loco Latinum sit non Hebraicum, ideo incerta est hæc conjunctura. Quidam ad Thomæ nomen alludentes, dicunt ipsum verè fuisse geminum, id est, duplicem ac dubium, quantum ad affectus animi attinet: Alius enim est ante Christi manifestationem, dubius scilicet & incredulus, alius verò post eam, videlicet certus & credens; alius est juxta Naturæ suæ vires & ingenium, alius juxta gratuita Dei dona consideratus: *Juxta ingenium suæ Naturæ, (scribit Brentius) erat stupidus & incredulus, sed si consideretur, qualis factus sit in Christo per fidem, fuit vir sanctissimus & beatissimus.* Porro de Patria & Parentibus hujus Thomæ ex scriptis Evangelistarum nihil constat, nisi quòd ex Historia Johan. 21. vers. 2. probabiliter colligitur, ipsum fuisse Galilæum, ejusque patriam fuisse circa mare Tiberiadis. In ultima enim cœna Christus dicit Johan. 16. v. 32. *venit hora, ut dispergamini quisque in propria, eis rã idæ:* sed Joh. 21. v. 2. Thomas est circa mare Tiberiadis cum Petro & filiis Zebedæi. Ergo ibi fuit ipsius patria. Ex eadem etiam Historia verisimiliter colligitur, ante vocationem ipsum fuisse piscatorem, quia cum Petro, Jacobo, Johanne, Nathanaele & reliquis vadit piscatum. Joh. 21. v. 3. Matth. 10. v. 3. una cum aliis undecim cooptatur in collegium Apostolorum & constituitur *σύντροφος* Matthæi. Joh. 11. 15. cum Christus in Judæam se rediturum diceret, Thomas subjicit: *Eamus & nos ut moriamur cum eo,* quæ verba à quibusdam tribuuntur animi robori, quòd Thomas reliquos iis exhortari voluerit, ut nullâ periculorum habitâ ratione Christum in Judæam sequerentur: sed ingenium Thomæ & textus circumstantiæ ostendunt, impatientiæ & immodestiæ ea tribuenda esse, ut sit sensus. Cum Magister non audiat salutaria consilia, sed sciens & volens in pericula ruat, ideo eamus & nos, ut cum eo moriamur, siq; finem malorum nostrorum assequamur. Joh. 14. vers. 5. cum Christus discipulis de suo ad Patrem. abitu concionaretur, ac viam & terminum hujus sui abitus probè ipsis constare assereret, respondet Thomas: *Domine, nescimus quò vadis & quomodo possumus viam scire?* ex quo apparet, ipsum satis rudem & immodestum fuisse, id quod in hac ipsa Historia evidentiùs conspicitur. Sed cum à Christo per manifestationes suæ resurrectionis ad fidem perductus & Spiritu sancto die pentecostes unâ cum reliquis Apostolis fuisset donatus, postea magnos fecit in fide progressus & in propaganda Christi Ecclesia copiosos fructus. Eusebius lib. 3. Histor. Ecclesiast. cap. 1. refert in divisione Apostolorum Thomæ Parthiam obtigisse, in qua Evangelium prædicavit & ministros ordinavit. Postea teste Hieronymo in Catal. viror. illustr. profectus est in Mediâ, Persiam, Hircaniam, & Indiam orientalem. Chrysostomus homil. 2. oper. imperf. scribit, quòd baptizavit Magos stellæ ductu ad præsepe Christi vocatos. De morte ipsius non consentiunt. Hieronymus simpliciter dicit, ipsum obdormivisse in civitate quadam Indiæ. Isidorus de Martyr. refert, quod in fornacem igneam sit projectus, cum nollet Solem more idololatrarum adorare, quia verò ignis eum non læserit, ideo à Sacerdote idololatrico lancea ipsum fuisse transverberatum. Dorotheus

in synopsis Histor. Ecclesiasticæ adjuncta: *Thomas obdormivit Calamina civitate Indiæ calamo, quem lanceam vocant, occisus ubi & honorificè sepultus est.* Ruffinus lib. 2. Histor. cap. 5. & Socrat. lib. 4. cap. 18. referunt, ipsum sepultum esse in Edessa civitate Mesopotamiæ, ubi rerum potitus Agbarus, de quo Eusebius lib. 1. cap. 13. recitat, quòd in morbo quodam incurabili literas dederit ad Christum, cui Christus responderit, se post resurrectionem missurum aliquem ex discipulis, qui corpori & animæ ipsius sit auxiliaturus, idque factum esse per Thaddæum Thomæ fratrem. Atque hæc est brevis delineatio vitæ & actorum Thomæ, ex qua ipsius ruditas & infirmitas ante effusionem Spiritus sancti in ipsum factam evidenter apparet: eam vero Christus mirandâ benignitate non solum toleravit, sed etiam emendavit, ut ex sequentibus patebit. Quare Thomas vocetur *unus ex duodecim*, cum tamen per suspendium Judæ numerus duodenarius fuerit interruptus, ejus rei causam exposuimus superius; præterquam quòd ex usu Scripturæ maxima pars totius nomen retinet, respicitur hac in parte ad ordinationem & institutionem Dei, juxta quam duodecim esse debebant Apostoli, unde postea *duodecim* illa per electionem Matthiæ fuit redintegrata. Simplissimè etiam responderi potest, ideo Thomam vocari *unum ex duodecim*, non quòd duodecim fuerint Apostoli cum hæc Historia contingeret, sed quòd duodecim fuerint, cum hæc Historia à Johanne describeretur, Matthiæ jamdum in venerabile hoc Collegium electo & ascito. Sic Moses, dicit, Abrahamum profectum esse in Bethel. Gen. 12. 5. qui locus Moysis temporibus sic dictus; Abrahami verò temporibus non *Bethel* sed *Luz* fuit vocatus. Gen. 28. 19.

Secundò describitur *occaso*, quâ hæc ovicula in errore & avia fuerit abducta. *Thomas* (ait textus) *non erat cum reliquis discipulis, quando venit Jesus.* Quem admodum facillè contingere potest, ut ovicula aberraret, si à grege reliquo semetipsam sejungat: ita quoque Thomæ hoc loco accidit. Sejunctus erat à consortio reliquorum Apostolorum, cum Christus resurrectionem suam per mulieres ad sepulchrum egressas & per Simonem Petrum ipsis non solum nunciari curasset, sed & seipsum redivivum eis exhiberet, inde privatur fructu hujus manifestationis & in hunc gravem errorem incidit, ut Christum resurrexisse non credat. Chrysostom. homil. 36. in Johannem statuit, quòd Thomas nondum redierit ad discipulos, ex quo una cum ipsis in horto fugerat & Christum reliquerat, id quod timiditatis ipsis tribuendum, quam non obscure declarat Joh. 11. vers. 15. *metuebat capiti suo, ne unâ cum reliquis comprehensus eandem cum Christo fortem experiri cogeretur;* ex quo apparet, quantum subit periculum, si quis publicos Ecclesiæ conventus deserat, & à piorum consortio seipsum sejungat, inde graviter præcipit Epist. Hebræos cap. 10. v. 24. *κατανοώμεν intelligentes simus invicem in provocationem caritatis εἰς παράδοξον in emulationem & incitationem caritatis & bonorum operum* vers. 25. *non deserentes collectionem nostram.* Qui publicos Ecclesiæ conventus deserit, privatur fructu, quem ex auditu verbi & publicis Ecclesiæ precibus percipere poterat, inde fit, ut fides ejus decrescat ac minuatur.

Quem-

Quemadmodum enim lucerna deficit absque olei affusione, ita quoque lux fidei extinguitur, nisi oleo verbi & precum perpetuo foveatur. Ad hanc incredulitatis causam accedebant etiam alia in Thoma; Apparet enim in eo quadam morositas & *αἰσχροψία*, quæ sibi solus sapit, suis nititur cogitatis & reliquis Apostolis omnibus contradicit, sicut Joh. 11. v. 15. Christum accusat, quod se & omnes Apostolos in vitam periculum conjiciat, cumque Johan. 14. vers. 1. Christus polliceretur se paraturum mansiones in domo cœlestis Patris, respondet Thomas, v. 5. *nescimus viam*, quasi dicat, quid nobis de cœlesti Patre & mansionibus in ipsius domo notum est? præstaret hujus vitæ felicitate perfrui. Ita quoque hoc loco agit; morosè oblectatur Apostolis reliquis, indulget suo cerebro, nec fidem vult habere ipsorum de Christi resurrectione testimonio: remouet ex oculis cordis omnes Christi prædictiones de sua resurrectione, & judicio sensuum ac rationis suæ indulget. Caveamus igitur Thomæ exemplo moniti à morosa illa *αἰσχροψία* Rom. 12. v. 16. *nolite esse prudentes apud vosmetipsos*, maximè verò ab inverso & perverso illo ordine, quo tenebras rationis luci verbi cœlestis multi, proh dolor! præferunt, & quia non vident & intelligunt ea quæ in verbo proponuntur, idè etiam credere nolunt, cum tamen fides sit *ἐπιστήμη καὶ βλεπομένη* Hebr. 11. v. 1. ac *πῶν νόμων captivandum sit sub Christi obsequium* 2. Cor. 10. v. 5.

Tertiò exponitur, quàm longè aberraverit hæc ovicula, & in quantum exitii periculo fuerit constituta. Cum reliqui discipuli Thomæ nunciarent, se vidisse Dominum ex mortuis resuscitatum, satis immodè respondet, *Nisi videro in manibus ejus vestigium clavorum, & mittam digitum meum in vestigium clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam.* In discipulis, qui omnia viderant & audierant, Thomæ referunt, apparet veræ fidei & dilectionis Natura. Ubi lux fidei est in corde, ibi exerit se per caritatis radios, atque hæc verè piorum proprietas est, libenter de Christo colloqui, cupide alios erudire & ad Christi agnitionem perducere. Incertum verò est, an Thomas proprio motu ad reliquos Apostolos redierit, atque hanc de Christi apparitione relationem ex ipsis audierit: an Apostoli ipsum absentem sectati ad se revocaverint, & nuncium hoc de Christo rediivo ipsi attulerint. Si priorem sententiam amplectimur, ea præbet utilem doctrinam de discrimine inter peccatum Thomæ & proditoris Judæ. Thomas post fugam & desertionem Christi in orto ex infirmitate carnis, metu scilicet præpeditus, ab Apostolorum consortio se aliquandiu se junxerat, sed postea ad eos redit & pio huic cœtui se iterum associat. Judas planè contrarium agit, post prodicionem peccatum non redit ad discipulos, ut consolationem ex illis audiat, sed ad Principes Sacerdotum & Seniores juratos Christi hostes abit, Matth. 27. v. 3. illis peccatum suum confitetur, sed jejunam & sterilem absolutionem consequitur, quid ad nos? tu videris, unde in desperationem incidit; Thomas verò Apostolis se iterum conjungens, ex peccato in viam revocatur, & ex faucibus infernalis lupi per verbum Evangelicum liberatur. Idem contigit Petro, qui Christum non solum deseruerat, sed etiam abnegaverat. Quòd si ergo fraude Diaboli in foveam erroris & peccati præ-

Harm. Tom. III. vel Gerhard. Cont. pars quinta.

cipitati sumus, nequaquam peccatum peccato addentes Christi & Ecclesiæ hostibus nos conjungamus, sed gregi Dominico nos associemus, ut veram & certam consolationem ex verbo audiamus. Si posteriorem sententiam amplectimur, magis elucet ardor caritatis in discipulis, quòd exemplo Christi Luc. 15. v. 4. ovem aberrantem & perditam quærunt, nec desunt, antequam eam inveniunt & ad gregem reducant. Idem faciant ministri Ecclesiæ pascendo gregi Dominico à Christo præfecti. Pet. 5. v. 2. illi statuunt suarum esse partium, sui que muneris, non solum quod *infirmum est, consolidare; quod egrotum, sanare; quod confractum, alligare; sed etiam quod errans est, reducere, & quod perierit, quærere.* Ezech. 34. v. 4.

Porrò nuncium de Christi resurrectione Thomæ à reliquis Apostolis allatum, simpliciter sic describitur, quod dixerint, *Vidimus Dominum*, sed non est dubium, quin latè cum omnibus circumstantiis totam resurrectionis & apparitionis Christi Historiam eidem exposuerint, quomodo scilicet Angelus de cœlo descendens lapidem sepulchralem in terræ motu revolverit, ac custodes sepulchri fugaverit, quomodo mulieres ungeni Christi causâ ad sepulchrum egressæ invenerint illud vacuum & Angelos de Christi resurrectione concionantes audierint, quomodo Petrus & Johannes linteamina in sepulchro seorsim posita viderint, quomodo Christus ipso resurrectionis die apparuerit Mariæ Magdalene, mulieribus à sepulchro reversis, Simoni Petro, duobus euntibus in Emaus, ac sub vesperam discipulis universis. Cum primis verò diligenter ei exposuerint circumstantias illius apparitionis novissimæ, quomodo scilicet Christus per clausas fores præter omnem expectationem miraculosè ad ipsos ingressus sit, cum de hac ipsa re cum duobus Emaunte reversis fuissent colloqui, quomodo in medio repente stans pacem ipsis fuerit precatus, quomodo non solum viderint ipsum sed & manus ac pedes ejus contrectarint, quomodo coram ipsis ex favo mellis & pisce aslo comederit, &c. adeo ut nulla supersit vel superesse possit de resurrectione ejus dubitatio. Hæc omnia reliqui discipuli diligenter enarrarunt Thomæ, sed eo parum proficiunt apud ipsum; respondet namque, *Nisi videro in manibus ejus vestigium clavorum &c. non credam.* tunc videre Apostolorum opponit suum videre, & hoc vult dicere. Vos quidem asseritis, quòd Dominum videritis, sed nisi egomet ipse videro, non credam, vestro testimonio non possum in re tam absurda & improbabili fidem habere, sed oportet me sensuum propriorum testimonio convinci, ut credam. Ludificati haud dubiè estis phantasmate & spectro aliquo, ipse ergo non credam, nisi videro τὸν τύπον τῆς ἑλκῶν στίγμα τῶν κλάδων, id est, vestigium vulneris ex clavis impressum. τὸν τύπον enim est τὸ στίγμα vestigium, quòd à percussente inprimitur, & post percussorem in corpore percusso relinquitur. Vulgata versio minus commode reddit: *fixuram.* Syvertit; *ἡ τοῦ κλάδων* loca clavorum, legit ergo eis τὸν τύπον (Augustinus vertit cicatricem) in manibus ejus; imò quia oculi glaucomate quòdam objecto possunt falli, ideo nondum credam, nisi etiam *mittam digitum meum in illud vestigium clavorum, & manum meam in latus ejus*, hoc est, in magnitudinem & latum illud vulnus, quòd in cruce lateri ejus inflictum;

Rr 2 inflictum;

inlicitum; nisi hoc modo videro & contrectavero Christum, atque ex illo intuitu & contactu convincar, illud ipsum corpus resurrexisse, quod in cruce clavis & lancea confixum est, *ἂν μὴ πύσω αὐτὴν πλὴν ἢ ἂν ἴδω αὐτὴν* *plene non credam*, ubi duplex negativa particula vim negationis auget. Lyranus dicit, Thomam ideò provocasse ad duos hosce sensus visum scilicet & tactum, *quòd hi minus possint decipi; quia visus plures rerum differentias monstrat & tactus in homine est certissimus, alii autem sensus bene inveniuntur vivaciores in aliis animalibus.* Galenus lib. 2. de diff. puls. c. 4. circa med. in Mosis & Christi doctrina hoc desiderat & reprehendit, quòd nullà demonstratione constitutà leges proferant. & lib. 11. de usu partium cap. 14. post med. hoc in Mose reprehendit, *quòd si statuat Deum omnia facere posse quæ velit, nos autem (inquit) non ita sentimus, sed confirmamus quedam Naturam facere non posse, & quæ Deum ne aggredi quidem omnino, sed ex iis, quæ facere potest, quòd melius est, eligere.* Ita nimirum Galenus in doctrina Mosis & Christi qua sivit demonstrationes luci rationis congruentes, sed Thomas hoc loco in rebus fidei etiam provocat ad iudicium sensuum, videlicet ad visum & tactum, antequam verbo de resurrectione credat. Chrysostr. hom. 87. in Joh. edit. Græc. *Cum crassioris ingenii esset (Thomas) & crassissimo sensuum fidem sibi quarit, neque enim oculis credebatur, &c.* Hoc certè erat gravissimum peccatum & enormis lapsus. 1. *ratione persone.* Omne animi vitium tanto conspectius in se Crimen habet, quanto major, qui peccat, habetur; ait Juvenalis. Jam verò Thomas non erat aliquis ex communi grege discipulorum Christi, sed ex Apostolorum collegio, audierat Christum non semel, sed aliquoties prædicentem suam resurrectionem, viderat Christum alios ex mortuis resuscitare, colligere ergo poterat ac debebat, ipsam quod in aliis potest, in suo etiam corpore posse, cum sit Dei viventis Filius. 2. *ratione formæ.* Incredulitas non solum est peccatum gravissimum, sed etiam fons & radix omnium peccatorum Marc. 16. v. 16. *Qui non crediderit, condemnabitur.* Joh. 3. v. 36. *Qui non credit in Filium, ira Dei manet super ipsum.* Joh. 10. v. 9. *Spiritus S. arguet mundum de peccato, quia non credunt in Christum.* Rom. 14. v. 23. *Omne, quod non est ex fide, peccatum est.* Heb. 11. v. 6. *sine fide, impossibile est Deo placere.* 1. Joh. 5. v. 10. *Qui non credit Deo, mendacem illum facit.* Cum ergo Thomas in peccatum incredulitatis incidat, utique hæc non est quædam levis infirmitas, sed omnino gravissimum & dampnabile peccatum. 3. *ratione objecti*, id est, eorum, quorum testimonium de Christi resurrectione reprobatur. Mulieres concionem Angeli & Christi ipsius manifestationem Apostolis nunciaverant, Petrus prædicaverat Christum seorsum sibi apparuisse, reliqui discipuli enumeraverant, quid Emaunti contigerit & quòd Christus ipsismet apparuerat, sed hos omnes minus idoneos testes iudicat Thomas, quibus fidem adhibeat. Mendacii ergo accusat homines, h. e. mulieres & omnes Apostolos, qui testabantur de eo, *quod oculis suis viderant & manibus suis contrectaverant* 1. Joh. 1. v. 1. jam vero honestum virum, & rectem ocularem mendacem reputare est grave delictum adversus proximum. Mendacii accusat Angelos, qui sunt Spiritus veraces, qui ex cælo veritatis throno descenderant, & de Christi resurrectione testificati fuerant. Mendacii accusat Christum, qui est

ipsa veritas Johan. 14. v. 6. ex quo sapius audiverat prædictiones de sua resurrectione. Denique mendacii accusat Deum ipsum, qui per S. S. in scriptis Prophetis V. T. de resurrectione Christi non semel vaticinatus fuit. 4. *ratione professionis publicæ.* Neque enim Thomas in corde hanc incredulitatem, & hasce cogitationes suas parum piàs premit, sed publicè coram omnibus fatetur, sicq; exemplo suo aliis præbet scandalum. Fuerunt in numero discipulorum Christi quidam adhuc dubitantes de resurrectione, ut apparet ex Matt. 28. v. 17. illi procul dubio non mediocre scandalum ex hisce Thomæ verbis passi sunt. Pari modo agit Joh. 11. v. 15. ubi reliquos Apostolos deterrere conatur, ne cum Christo in Judæam abeant ac præsentissimo mortis periculo sese exponant. 5. *ratione perseverantiæ.* Per integros dies octo in hac sua incredulitate perseverat, nec ab ea desistit, antequam Christus ad libitum suum cum ipso ageret, seque videndum ac palpandum ei exhibeat. Quidam statuunt Thomam etiam confirmatum in fide resurrectionis tamen ad ingenium suum rediisse. cum enim Petrus Joh. 21. v. 3. de Apostolatus munere diffidens piscatum abiret, da ist Thomas nicht der letzte / sed statim subjicit: *ibi mus & nos tecum.* Sed ostendemus suo loco, hanc pificationem Apostolorum non procedere ex quadam diffidentia. Videmus autem, quàm altas radices in cordibus nostris incredulitas egerit, adeò ut in ipsis renatis, qualis erat Thomas, fibræ ejus adhuc sint reliquæ; in quibus per Spiritum sancti gratiam elevandis, per totam vitam ipsos oportet esse occupatos. Quòd si à luce verbi mentis oculos vel paululum deflectant, & lucem rationis & sensuum (quæ in divinis est caligo & tenebræ) sequi velint, in proclivi est, ut incredulitas cordibus innata denuò erumpat, ut patet exemplo Mosis Num. 11. 21. c. 20. 11. Thomas quatuor (ut sic dicam) lumina sibi habebat propòsita; lumen verbi cœlestis, lumen internæ colustrationis, lumen rationis & lumen sensuum. Audierat ex vaticiniis Prophetis & Christi concionibus de resurrectione, id ipsum testabantur Apostoli, Christum sc. verè resurrexisse, hæc erat lux verbi cœlestis: cognoverat in super divinam Christi virtutem ex miraculis, quæ ratione per Spiritum sanctum incredulitas in ipsius corde erat repressa & extirpari cœpta, hæc erat lux internæ illuminationis ex altera parte ratio dicebat, impossibile planè & absurdum esse idem numero corpus ex mortuis redire, hæc erat lux rationis: viderat etiam Thomas Christum in cruce pendentem, spinis coronatum, clavis confossum, sanguine per fustum &c. hoc erat lumen sensuum: debuisset igitur Thomas relicta sensuum & rationis luce sequi lucem verbi & internæ illuminationis, sed quia luce verbi relicta sensuum & rationis iudicium sequitur, ideò in tenebras incredulitatis incidit. In rebus humanis & politicis iudicium sensuum & rationis est præclara quædam lux, sed in mysteriis fidei est caligo densissima, ideòq; teste Scripturâ, fides non est opus nostrarum virium ac nostra rationis, sed donum Dei, lux in corde per S. S. accensa, illuminatio è supernis. Matth. 16. v. 17. Phil. 1. v. 29. &c. Quòd si etiam ipsi renati lucem verbi & Spiritus paululum, ex oculis cordis removeant & sensuum ac rationis iudicium sequantur, in pristinas incredulitatis tenebras statim relabuntur. Apparet etiam h. l. carnis nostræ ingenium; quando res

res ex animi sententia & voto nobis succedunt, existimamus nos in fide satis stabiles ac firmos esse, perinde ut Thomas Christo *ὡς ἐξ ἑσθια* docente & miracula edente se fide satis forti instructum esse statuebat, sed cum audiret, Christum Hierosolymam ascendere, ut ibi patiat, ibi verò labascere incipit ac vehementer turbatur, Joh. 11. v. 15. cum verò Christus miserabilem mortem oppeteret, ac in sepulchrum poneretur, ibi dicit, se non posse ipsum resuscitatum credere, antequam videat & tangat. Idem profectò est carnis nostræ ingenium. Psal. 30. v. 7. *ego dixi in quiete mea, non movebor in eternum.* v. 8. *cum verò faciem tuam à me absconderes, factus sum conturbatus,* tam grave scilicet est *contra spem in spem credere.* Roman. 4. v. 18.

Porro cum incredulitas Thomæ sit tam grande peccatum, merito quaeritur, cur Spiritus sanctus illud in perpetuam memoriam annotari voluerit? Pontificii dicunt, *Laicis propterea Bibliorum lectione interdicens esse, ne ebrietas Noab, incestu Lotbi, idololatria Aaronis, dubitatione Moysi, adulterio Davidis, Petri abnegatione, Thomæ incredulitas &c.* scandalizent, ut apparet ex Staphylo & Belarmino libr. 2. de verbo Dei cap. 15. Sed hæc calumnia redundat in Prophetas & Apostolos, imò in Deum ipsum, qui hæc peccata sanctorum per illos tanquam amanuenses suos in Scripturas redigi voluit, nec possunt hisce factis scandalizari juniores ac Laici, cum descriptio pœnæ, quæ culpam pede presso insequitur, statim sit addita, vel certè quomodo per veram pœnitentiam pœnas promeritas effugerint. Carnales homines abutuntur his exemplis ad alendam securitatem, præterdunt, se nondum tam graviter ac enormiter esse lapsos, quibus opponendum est illud Augustini in Psal. 50. *Multi cadere volunt cum Davide, nolunt autem surgere cum Davide.* Non cadendi, sed resurgendi exemplum in illo nobis est propositum. *Audiant qui non ceciderunt, ne cadant, audiant qui ceciderunt, ut surgant.* Annotati ergo sunt à Spiritu sancto lapsus Sanctorum 1. ad comprobendam scriptorum Prophetarum & Apostolicorum veritatem. Homines semper cupiunt laudari, atque agre ferunt nevos suos recenferi; aliter verò egerunt sancti Dei homines, quia scripserunt impulsè à Spiritu sancto 2. Petr. 1. vers. 21. quicquid Spiritus sanctus ipsis dictavit, id bonâ fide scripserunt, unde Scriptura eorum vocatur *ἰερόλογος*. 2. Timoth. 3. vers. 16. sic Moses describit suam dubitationem, Marcus Petri Apostoli comes inviduos describit ipsius abnegationem, Paulus se inter omnes peccatores maximum profiteretur. 1. Tim. 1. v. 15. &c. Ut ergo prædictio futurorum arguit divinam Scripturæ majestatem, ita descriptio istorum lapsuum arguit sinceram ejusdem veritatem, quippe cum non ad suam, sed ad Dei gloriam à Prophetis & Apostolis sit directâ. 2. ad salutarem doctrinam, quod omnibus sanctis necessaria sit peccatorum remissio Psal. 32. v. 6. quod omnes orare coguntur. Matth. 6. v. 12. *dimitte nobis debita nostra.* Augustin. lib. 1. de Natur. & grat. cap. 36. *Si omnes sanctos & sanctas, (qui ab Adamo vixerunt,) congregare possemus & interrogare, utrum essent sine peccato &c. unâ voce clamarent, si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos sedu-*
Harm. Tom. III. vel Gerhard. Cont. pars quinta.

cimus. Quamvis sancti concupiscentiis carnis resistant, easque Spiritu mortificent tamen *in carne ipsorum adhuc habitat peccatum,* Rom. 7. v. 17. atque hoc est *absconditum illud peccatum, quod Deus ponit in lumine vultus sui.* Psal. 90. v. 8. id verò quia vel ipsi sancti vel reliqui homines non agnoscunt, ideo permittit Deus radicem illam amaritudinis in vitiosos stolones excrecere. Sancti interdum non satis dignè aestimant gravitatem & multitudinem peccatorum suorum, cum tamen in cordibus ipsorum hæreat impatientia, dubitatio, superbia, amor terrenorum &c. ideo mirabili consilio occultam cordis superbiam punit Deus per manifestam carnis ruinam. Ita etiam reliqui homines interdum plus tribuunt Sanctis quam par erat 2. Corinth. 12. v. 6. ideo permittit Deus in graves lapsus eos incidere, ut appareat, ipsos non minùs quam reliquos homines indigere Mediatore 1. Timoth. 2. v. 5. *Der Herr sel laßt seinen Heiligen mit reinen Güssen in Himmel kommen.* 3. ad *ἐλεγχον* eorum, qui pro meritis operum tanquam pro aris & focus pugnant. *Qui in uno peccat, omnibus reus est,* dicit Jacobus cap. 2. v. 10. ergo si unum tantummodò peccatum committitur, justitia operum redditur imperfecta & ad justificationem coram Deo inutilis, ideoque omnes sancti coram Dei judicio se humiliant, ab opinione propriae justitiæ oculis & animum avertunt, inque sola Dei gratia & solo Christi merito omne perfugium habent constitutum; ut exemplo Davidis, Elaiæ, Danielis, Pauli, Johannis, imò omnium omninò Sanctorum abundè comprobari potest. 4. ad consolationem verè pœnitentium. 1. Tim. 1. 15. *Certus sermo & omni acceptione dignus, quod Christus Jesus venit in mundum peccatores salvos facere, quorum ego primus sum.* v. 16. *sed ideo misericordiam consecutus sum, ut in me primò ostenderet Christus omnem patientiam πᾶσιν μαρτυροῦμαι ad informationem eorum, qui credituri sunt in ipsum ad vitam eternam.* Promissio divina de voluntate Dei benefica erga omnes verè pœnitentes est certa & immota Ez. 33. v. 11. 1. Tim. 2. v. 4. 2. Pet. 3. 9. sed quo minùs de ea dubitemus, ideo hisce exemplis velut sigillis confirmatur. Sap. 12. 19. *docuisti populum tuum per talia opera & bonæ spei fecisti filios tuos, quoniam das locum in peccatis pœnitentiæ, δίδως ἴτι ἀμαρτημασιν μετάνοιαν.* Chrysost. hom. 29. in Gen. col. 229. *Qui in peccatis est, non desperet, visis tot qui respuerunt & ad summum virtutis apicem pervererunt.* *Currimus ad te, Domine JESU,* ait Bernhardus, *quia non sprevisisti consistentem latronem, non lacrymantem peccatricem, non supplicantem Cananaeam, non deprehensam in adulterio, non sedentem in telonio, non supplicantem publicanum, non persequentem discipulum, non impios crucifixoies, in odore unguentorum tuorum currimus.* 5. ad *ὑπερίαν.* Aug. lib. 3. de doctr. Christ. cap. 23. *Ad hoc peccata magnorum virorum scripta sunt, ut ubiq; Apostolica ista sententia tremenda sit, quâ ait: Qui videtur stare, videat ne cadat.* Idem in Ps. 50. *Non sit delectatio minorum lapsus majorum, sed sit remor minorum lapsus majorum.* Ephrem. lib. 1. de comp. cordis c. 11. graviter scribit. *Quorundam conversatio usq; ad cælum pervenit, veniensq; ad portas in regnum prohibita est introire.* Nutantibus illis columnis, quis non tremat & cohorrescat? Hæ sunt causæ propter quas gravissimum illud Thomæ peccatum & reliquos Sanctorum lapsus Spir. S. annotari voluerit, addendum verò hoc loco, quod

magnum sit discrimen inter incredulitatem Thomæ & obstinatam pertinaciam Pharisaeorum. Thomas non reluctatur sciens ac volens Spiritui sancto, sed ex carnis infirmitate, nimium scilicet suis sensibus suæque rationi indulgens, negat se posse credere, antequam ocularem quasi & palpabilem fidei demonstrationem habeat: sed Pharisei in conscientia sua de resurrectionis veritate convicti eandem pertinaciter oppugnant, custodes sepulchri pecuniâ corrumpunt, ut corpus Christi furto sublatum esse mentiantur, & hac ratione contra conscientiam suam testimonium resurrectionem Christi opprimere conantur. Christus igitur Phariseos velut obstinatos & pertinaces hypocritas Dei iudicio relinquit, sed Thomam velut errantem oviculam summo studio requirit.

Sequitur enim in altera hujus Historiæ parte, quomodo Christus fidelis ac bonus ille pastor Thomam errantem illam oviculam in viam reduxerit in ipsius gratiam denuò discipulis apparendo. In hac parte Historiæ describitur tum *suavissima Christi apparitio*, tum *egregia Thomæ confessio*. In descriptione apparitionis 1. exprimitur *tempus*. *Post dies octo*, id est, octavo à resurrectionis die, hic enim sensus est particulæ *μτ*. Sic Christus dicitur resurrexisse *μτ* *τρίτης ημερας* Marc. 8. vers. 31. Matth. 27. vers. 63. id est, *die tertio*; Christus *μτ* *ημερας τριτης*, id est, *die tertio* in templo à Parentibus inventus. Luc. 2. vers. 46. In his & similibus locis inclusivè sumitur tempus per particulam *μτ* notatum, alibi verò exclusivè accipitur. Sic Matth. 17. vers. 1. Marc. 9. vers. 2. *Post sex dies assumit Jesus Petrum & Jacobum*, id est, exactis sex diebus, non autem die sexto, ut colligitur ex Luca cap. 9. vers. 28. Sic Actor. 28. vers. 11. *post menses tres*, hoc est, exactis tribus mensibus navigavimus. Syrus habet Præpositionem *בתר* quæ usurpatur pro *באתר* in loco, *post*; eandem habet Matth. 27. vers. 63. inclusivè usurpatum, *post dies tres*, id est, triduo. Porro hic octavus à resurrectione dies iterum erat Dominicus, *ημερα κυριακη* ut vocatur Apocal. 1. vers. 10. Sabbathum Judaicum proximè sequens, *πρωτη σαββατης feria prima septimane*, ut vocatur Marc. 15. v. 9. Ipso resurrectionis die, qui erat dies Dominicus, sive ut nos loquimur, *dies Solis*, apparuerat Mariæ Magdalena, mulieribus à sepulchro reversis, Simoni Petro, duobus euntibus in Emaus & reliquis discipulis, hoc loco iterum apparet discipulis die Dominico, id quod facit ad honorem diei Dominicæ, quam hac ratione Christus consecrare, & ad cultum divinum deputare voluit, unde procul dubio factum, ut Apostoli hunc diem cultibus divinis deputaverint, quia scilicet Dominus in eo resurrexit & resurrectionem suam distinctis aliquot apparitionibus manifestam fecit. Sed qui sit, quòd post octo demum dierum intervallum incredulo Thomæ Christus apparet? Sanè agnoscenda hac in parte liberrima ipsius voluntas, interim non absurdè dicitur, hanc dilationem fuisse 1. iustissimam poenam negligentiam & oscitantiam in Thomæ. Segregaverat se à reliquis Apostolis, ac suam culpam fructu manifestationis, quæ reliquis discipulis facta erat, seipsum privaverat, inde factum, ut per integrum octiduum cum larvis incredulitatis, cum carne & ratione sua colluctari cogeretur. 2. probationem fidei in reliquis Apostolis. Ad fidem re-

surrectionis prægressis multis *τεκμηνοις* vel tandem perducti erant, hæc fides demonstranda fuit colluctatione cum incredulo Thomæ, ut mutuis colloquiis ac certaminibus cresceret. Euthym. in. cap. 20. Johan. *Quare non tunc fecit illum certiorum, cum Thomas prædicta requirebat, sed post dies octo? ut interim à condiscipulis instructus facilius persuaderi posset ad fidem*. 3. pietatem nostrarum calamitatum. Christus non apparet Thomæ in primo statim tentationis principio, sed per integros dies octo ipsum sibi relinquit & cum incredulitate luctari finit, quòd si idem nobis contingat, ut cum dubitationibus, angustis cordis & tentationibus aliquandiu nobis sit luctandum, non despondeamus animum, sed benè speremus, Christum vel tandem nobis affuturum. 4. typam nostræ glorificationis. Sex dies sunt hujus vitæ, in quibus sub cruce laboramus, septimus est quietis in sepulchro, octavus erit dies gloriæ & lætitiæ, in qua Christum à facie ad faciem videbimus 1. Corinth. 13. vers. 12. Apparet etiam ex hac Christi apparitione, quòd Christus non continuè discipulis suis fuerit conversatus, sed quòd per intervalla ab ipsis visus sit ac denuò ab eis recesserit, sicut hoc loco integrum septiduum intercedit, antequam ad eos redeat, quo ipso ostendere voluit, se non resurrexisse ad hanc vitam, ut pristino more cum ipsis conversaretur, sed ad vitam immortalem ac celestem, ut æternum regnum in cælis inchoaret.

2. Objectum. Quamvis hæc Christi apparitio in gratiam Thomæ potissimum instituta esset, illi tamen non soli, sicut Petro & Jacobo contigit, sed unà cum reliquis discipulis congregato apparere voluit. *Cum enim discipuli essent intus, & Thomas cum eis, venit Jesus januis clausis & stetit in medio*. Quòd discipuli conjunctis animis & corporibus fuerint, cum Christus ad eos veniret, *Φιλαδελφους* laudis tribui posset: sed quia textus addit, quòd adhuc *clausis foribus* sese muniverint, ideo timiditatem potius & fidei infirmitatem arguit. Christum victorem redivivum conspexerant, cujus quanta sit potentia, ex eo intelligere poterant, quòd in horto oliveti unico verbulo toram cohortem prostravisset, & saluum conductum ipsis impetrasset, quin & Spiritu sancto afflati erant, nondum tamen omnem animi molliem ac timorem excutere poterant, sed adhuc seris & januis se contra impetum hostium muniunt, quam imbecillitatem Christus *μακροθυμων* ad nostram consolationem patienter tolerat. Id verò in discipulis laude dignum, quòd Thomam incredulum in suo consortio ferunt, amici eum informant, neque post unam vel alteram admonitionem excommunicationis fulmen in ipsum vibrant. Hoc exemplo moniti *infirmum in fide assumamus non ad disceptationes cogitationum*. Rom. 14. v. 1. *μη εις διαλογισμων*, non ad dijudicationes disceptationum, non suscipiamus odiosas disputationes & disceptationes contra illos, sicut hi discipuli specioso prætextu Thomam excludere potuissent, cum fundamentali articulo resurrectionis Dominicæ etiam admonitus fidem habere noluerit. Ita propter divortia sententiarum non statim rampendū est vinculum unitatis & concordie Christianæ, sed patienter expectanda est plena & perfecta conformitas: interim tamen ne pertinaces & obstinati hostes veritatis nostræ facilitate abutantur, discrimen statuendū

inter

inter obstinatos & corrigibiles : de illis dicit Christus Marth. 15. v. 14. *Sinite eos, cæci sunt & caecorum duces*, & Paulus Tit. 3. v. 10. *hereticum hominem post unam & secundam correptionem devota. v. 11. sciens, quia subversus est talis & delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus*, de his vero intelligenda est admonitio Apostolica 1. Cor. 1. v. 10. *Obsecro vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut id ipsum dicatis omnes & non sint in vobis schismata, sitis autem perfecti eadem mente & eadem sententia*. In Thoma etiam laudandum, quod seipsum non separat ab illo cœtu, cui non erat per omnia in negotio fidei & religionis consentiens sive ὁμολῶν, neque enim propter quasvis dissensiones ab unitate Ecclesiastica recedendum, sed plenior illuminatio à Deo petenda & in verbo quaerenda. Porro quod Christus Thomam suam gratiam prævenit, nec expectat, donec ab ipso quaeratur, in eo fidelem se pastorem esse demonstrat, cuius proprium est errantes oves quaerere, quoniam ἑσπέρωσιν nostram ad Deum conversionis proponit, quod omnem nostrum cursum ac conatum Deus suam gratiam antevertat. Rom. 9. v. 16. *non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei*. Esa. 65. v. 2. Rom. 10. vers. 20. *Inventus sum à non quaerentibus me, palam apparui iis, qui non interrogabant me*: quod non privatim sed in præsentia reliquorum discipulorum Thomæ apparet, eiusque incredulitatem corrigit, ideo factum est, quia reliquis non mediocre scandalum præbuerat, voluit igitur Christus ex hac Thomæ reprehensione & confessione fructum aliquem ad cæteros redire. 1. Tim. 5. v. 20. *peccantes coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant*. Revelavit se iterum omnibus propter unum, ut omnibus significaret, quantam curam, quantave sollicitudine suos complectatur, & omnium fidem occasione incredulitatis Thomæ confirmaret. Quid verò in eo considerandum proponatur, quod Christus foribus clausis ad discipulos venerit, & in medio eorum steterit, expositum est superius.

III. Formam ac modum apparitionis. Christus altera vice ad discipulos post resurrectionem veniens non apparet mutus, sed primum in genere omnes discipulos, postea in specie Thomam alloquitur. In genere omnibus pacem precatur, quam salutationis formulam declaravimus in proxima Historia. Audivimus hic denuò veterem salutationem & pristinam pacis comprehensionem, quam etiam ante octiduum fuerat usus, ut intelligamus, Christum non afferre novum Evangelium à priore diversum, sed vetus Evangelium repetere, quod annunciat nobis reconciliationem generis humani cum Deo per passionem & resurrectionem Christi, ac promittit credentibus in ipsum iustitiam, pacem conscientiam & vitam æternam. Mox ad Thomam, cuius gratiam potissimum apparuerat, sermonem convertit, dicens: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & admove manum tuam, & immitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed credens*. τὸ δακτυλὸν ὧδε ostendit, Christum vestigia clavorum in manibus & vestigium vulneris in latere eo ipso simul ostendisse, cum ad Thomam hæc diceret. Repetit autem eadem omnino verba, quibus Thomas ad reliquos discipulos fuerat usus. Thomas dixerat, εἰ μὴ ἴδω τὸν τύπον τῶν ἡλῶν

Harm. Tom. III. vel Gerhard. Cont. pars quinta.

ἐν ταῖς χερσὶν αὐτῶν. Christus respondet, ἴδε τὰς χεῖρας μου. Thomas dixerat, εἰ μὴ βάλω τὸ δακτυλόν μου εἰς τὸ τόπον τῶν ἡλῶν. Christus respondet, Φέρε τὸν δακτυλόν σου ὧδε. Thomas dixerat, εἰ μὴ βάλω τὴν χεῖρά μου εἰς πλευράν σου. Christus respondet, Φέρε τὴν χεῖρά σου καὶ βάλε εἰς τὴν πλευράν μου. Thomas dixerat, & μὴ πιστεύσω. Christus modo contrario infert, μὴ γίνῃς ἄπιστος ἀλλὰ πιστός, ubi iucunda illa paronomasia observanda; uti etiam quod Christus non solum de actu credendi sed etiam habitu fidei loquatur, ut sit sensus, Thomam non solum in præsentia debere credere, sed etiam in eadem fide perseverare, ita enim usurpatur vox πιστός. Act. 10. v. 45. 2. Cor. 6. v. 15. Ephes. 1. vers. 1. Apoc. 2. v. 10. &c. & quia resurrectio Christi est fundamentum reliquorum fidei articulorum, monetur Thomas, ut veram fide eam amplectatur, simpliciter, additur comminatio, quod in numero infidelium Ethnicorum sit censendus, ita enim usurpatur vox ἄπιστος. Luc. 12. v. 46. 1. Cor. 6. vers. 6. c. 7. vers. 13. &c. Elucet ex hoc loco miranda & consolatione plenissima Christi Φιλανθρωπία, quod denuò in gratiam Thomæ discipulis apparet, seque ipsum videndum & palpandum ei præbet, ut ab incredulitate ad fidem, ab errore ad veritatem, & morte ad vitam revocaretur, quo ipso verè fidelem pastorem sese præbet, reipsam complens, quod promissit Ezech. 34. vers. 16. *Ego ipse pascam oves meas, dicit Dominus Deus, quod perierat, requiram, & quod errans erat reducam*. Luc. 15. v. 4. *Quis ex vobis homo, qui habet centum oves, & si perdidit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto & vadit ad illam, que perierat, donec inveniat eam?* Christus per passionem & resurrectionem ingressus erat in suam gloriam Luc. 24. vers. 26. num ergo cogitat: Quid ad me incredulus ille Thomas? aberravit suam culpam, feci quod debui, apparui discipulis in argumentum resurrectionis, ab illis cur se ipsum se junxit? suo malo abeat, ego nihilominus ero in cœlesti gloria. Minimè verò Christus sic cogitat, sed anxie & studiose quaerit errantem hanc ovem, quam precio sui sanguinis acquisiverat. Et probe notandum, quod Christus post resurrectionem erga ovem hanc errantem ita affectus fuerit, ut enim Johan. 11. v. 15. & cap. 14. v. 5. benignissimè condonavit Thomæ ruditatem, ita hoc loco patienter fert ipsius incredulitatem. Joh. 10. vers. 11. Christus se vocat *pastorem bonum*. Ne verò cogitarem, Christum in diebus carnis suæ, cum in terris conversaretur, ita erga nos affectum fuisse, jam verò in cœlesti gloria majoribus occupatum pastoritiam curam deposuisse, ideo hoc ipso exemplo ostendere voluit, se in æternum istum erga nos animum & affectum fovere. Ut enim gloria cœlestis non abolevit in eo Naturam humanam, ita quoque non abolevit fratrum illum affectum, quem erga nos gerit. *Sedet ad dextram Dei & interpellat pro nobis* Rom. 8. vers. 34. hoc est, sedulam curam nostri agit, ut participes reddamur beneficiorum ipsius, quod animam suam pro ovis posuerit. Joh. 10. v. 11. Sic ergo Christus hoc loco sese verum ac fidelem pastorem esse probat; sed & verum animarum nostrarum Medicum se esse demonstrat. Matth. 9. vers. 12. Thomas gravissimo incredulitatis morbo laborabat, qui est lethalis animæ morbus Joh. 3. v. 36. *Qui incredulus est,*

R r 4 non

non videbit vitam. Christus ergo utpote verus animarum Medicus hunc ægrotum benignè visitat ac sanat. Quemadmodum fidelis Medicus non contentus est semel tantummodò ægrotum invisere, sed accedit sapius, diligenter inquirat de statu morbi, dat confortantia &c. sic Christus sapius redit ad discipulos, ostendit eis manus ac pedes, ut medeatur ipforum incredulitati, cumque unus inter illos reliquis gravius laboraret, propter illum de nuò redit. Denique probat Christus hoc exemplo se esse Archiepiscopum suæ Ecclesiæ. Thomas unà cum reliquis Apostolis debebat esse testis resurrectionis in toto orbe. Act. 1. v. 8. cap. 10. vers. 41. voluit ergo Christus prius ipsum in fide confirmare & fundare, ut de re certa & explorata filiis Ecclesiæ testari posset. Hæc *Φιλαργωπία* Christi sit nobis consolationi, quando in cordibus nostris sentimus dubitationes, diffidentiam, fidei infirmitatem &c. tunc cogitemus, Christum pastorem nostrum, propter infirmitates & nævos nobis adhærentes nequaquam nos abjecturum, Psal. 37. vers. 26. *Iustus cum ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum.* Psalm. 80. v. 1. *Deducis velut ovem Joseph: deducis & ex errorum aviis reducis.* Oremus igitur quotidie ex Psal. 119. v. 176. *erravi sicut ovis que perivit, quere servum tuum.* Neq; tamen ad securitatem hac doctrinã abutamur, quasi curã hujus pastoris futuri simus tuti, si vel maximè scientes ac volentes in errores nos præcipitemus & in illis perseveremus, quinimò *Diabolus circuit velut leo rugiens* 1. Pet. 5. v. 8. huic non debet ovicula sponte se offerre aut ex Christi Pastoris manibus se abstrahere; si ex infirmitate in avia devenit, audiat vocem pastoris revocantis ad gregem, eamque sequatur, ne fiat infernalis lupi præda. Exemplum ἀρχιεπισκοπῆς Christi sequantur Ecclesiæ ministri, sedulam agant animarum curam, pascant gregem sibi commissum 1. Petri 5. v. 2. neque in genere solùm doceant, prædicent, hortentur: sed errantes oviculas in specie quærant, in viam revocent, & ad gregem reducant, cum non solùm pro omnibus, sed etiam pro singulis oviculis curæ & fidei suæ commissis rationem sint reddituri. Hebr. 13. v. 17. Paulus de se testatur, quòd in Ecclesia Ephesina *per triennium non cessaverit nocte & die cum lacrymis moneve* ἐκαζον *unumquemque in specie* Act. 20. v. 31. delinquentes igitur arguant, poenitentibus vulnera Christi in verbo Evangelii ostendant, & modis omnibus hoc agant, ut, *quod inter oves infirmum est, consolident; quod ægrotum, sanent; quod contractum, alligent; quod errans est, reducant; & quod perierat, quærant,* Eze. 34. v. 4. Nec prætermittendum, quòd Christus singulari consilio eadem verba repetit, quæ incredulus Thomas effutierat, eo ipso namque resurrectionem & majestatem suam comprobare, Thomæ verò incredulitatem convincere voluit. Si Christus novit, quid inter Thomam & reliquos discipulos dictum gestumve, utique verè resurrecti, utique est verus Deus, cujus solius proprium scrutari corda & renes, præterita, præsentia & futura uno intuitu complecti, & quia absque aliorum relatione verba Thomæ exactè novit, inde colligitur, quòd hæc majestas Christo secundum humanam Naturam competat, quodque præsens fuerit majestate, cum Thomas verba incredulitatis plena proferret, licet exte-

rius & visibiliter non adfuerit, &c. Monemur etiam voces ex incredulitate & impatientia profectas non evanescere in tenues auras, sed velut in libro Dei consignari, cum sint in memoria apud ipsum, idè remissionem hujus peccati verà & seriã poenitentia quæramus, & in cruce accuratam cogitationum & verborum rationem habeamus, ne ex impatientia *stultum quid contra Deum loquamur.* Job. 1. v. 22. Porro cum Christus hoc loco vestigia vulnerum in latere, manibus ac pedibus Thomæ ostendat, meritò quæritur, quid de illis vestigiis vulnerum sit statuendum, an in corpore glorificato & ad cœlos evecto eadem adhuc retineat, & quamobrem id factum sit? Pii veteres unanimi ferè consensu statuunt, Christum in corpore suo retinuisse vestigia vulnerum, non solum cum discipulis appareret in fidem resurrectionis, sed etiam in ipsa ad cœlos ascensione, in reditu ad iudicium, eademque retenturum etiam in gloria vitæ æternæ. Quòd attinet tempus inter resurrectionem & ascensionem intermedium, in eo retinuisse Christum vestigia vulnerum suorum, satis evidenter constat non solum ex præcedente, sed etiam cum primis ex hac ipsa Historia, jubet enim discipulos suos *videre manus ac pedes suos* Luc. 24. v. 39. hoc est, intueri vestigia clavorum in manibus ac pedibus, ut intelligant, ipsum eodem corpore resurrectisse, in quo clavis in cruce confixus mortem sustinuerat. Ad Thomam hoc loco dicit: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & admove manum tuam & immitte in latus meum;* in quæ verba sic commentatur quidam ex veteribus. *Infer digitum tuum, id est, intus fer; immitte manum tuam, hoc est, intromitte in latus, non ad latus.* Quòd attinet tempus ascensionis, in ea stigmata vulnerum à Christo Angelis monstrata esse colligit Cyril. ex Esa. 63. vers. 1. *Quis est iste, qui venit de Edom, tintis vestibus de Bosra, decorus ille in amictu suo, gradiens in multitudi- ne fortitudinis suæ, &c.* Alii ex veteribus commodius huc referunt dialogismum Zach. 13. vers. 6. *Quæ sunt plage iste in medio manuum tuarum? & dicet, his plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me; ubi immediatè sequitur vaticinium de Christi passione & resurrectione, idè etiam priora verba exponunt de sermocinatione Christi cum Angelis & Patriarchis in sua ascensione.* Quòd reditum ad iudicium spectat, in illo etiam vestigia vulnerum in Christi corpore conspectum iri colligit ex Zach. 12. vers. 10. *Aspicient ad me, quem confixerunt: quod vaticinium Apocal. 1. vers. 7. sic exponitur. Ecce venit cum nubibus & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.* Alii huc referunt locum Matth. 24. vers. 30. *Tunc apparebit signum Filii hominis in cœlo, i. e. Filius hominis signatus habens signa vulnerum.* Et quia Angeli testantur, Christum in cœlum assumtum sic rediturum quemadmodum viderunt eum Apostoli euntem in cœlum Act. 1. vers. 11. inde iterum colligunt, etiam in reditu ad iudicium vestigia vulnerum in ipsius corpore conspicienda esse, quia *ascendens in cœlum benedixit eis* Luc. 24. v. 51. vulnerum vestigia eis ostendit in manibus suis, quibus benedictionem precabatur. Deniq; quòd statum gloriæ in vita æterna attinet, eò referunt dictum Esa. 49. 16. *Ecce in manibus meis descripsi te; clavi sunt ferreus ille stylus, quo in manibus Christi sumus*
con-

consignati. 1. Corinth. 13. vers. 12. *tunc videbimus*, quod hic credimus, ergo vestigia passionis in ipsius corpore intuebimur. Hæ sunt veterum meditationes de vestigiis vulnerum in manibus ac pedibus Christi, quas nec D. Lutherus nec D. Chemnitius improbant. Sic enim ille in hunc locum. *Nam Christus etiam post resurrectionem vulneris in latere & clavorum vestigia retinuerit, ego non impugabo, sed ita tamen ne quid deformitatis sit in aspectu, sicut alias, sed formosum ad videndum & consolationis plenum.* Hic verò disertè statuit, *Christum etiam post suum in gloriam caelestem ingressum vestigia vulnerum retinuisse, in memoriam precii pro nobis exhibitum, ut quotidie recordetur, quam caro precio emti simus.* Addendum tamen 1. probabiliter tantum hoc statui, nec velut articulum quendam fidei propugnari, quòd Christus etiam post suam ad cælos ascensionem vestigia vulnerum in glorificato suo corpore retinuerit, destituimur enim hac in parte claris & perspicuis Scripturæ testimoniis; quæ superius adducta sunt, ex illis non nisi probabiliter id colligitur. 2. vestigia illa vulnerum nequaquam ex impotentia quadam sanandi in corpore esse relicta. 3. nec esse quosdam nexos & vitia ullum dedecus afferentia. 4. multò minùs dolorem quendam afferre. 5. sed nec necessitate quadam in corpore harere, sed ex libera œconomia & dispensatione. Hisce præsuppositis, dicimus vestigia vulnerum post resurrectionem fuisse discipulis exhibita. 1. ad resurrectionis confirmationem, ut ex illis discerent, Christum eodem corpore resurrexisse, in quo clavis confixus erat in cruce. Epiphani. in ancorato pag. 537. *Non deleuit cicatrices clavorum neque lanceæ typum, sed ostendit id ipsum, quod in cruce passum fuit, quod non aliud esset id quod resurrexit, neque aliud ex ipso productum, sed ipsum quod passum fuit passionis exors & ipsum quod cecidit granum id quod resurrexit, resurrexit autem incorruptibile.* August. lib. 16. contra Faustum. c. 32. *Ut animi Thomæ vulneribus mederetur, corporis sui cicatrices ostendebat & tangi sinebat.* Idem in Ps. 88. *Cicatrice servavit in corpore, ut vulnus dubitationis sanaret in mente.* Idem tract. 121. in Joh. & Gregor. homil. 26. in Evang. *Addubitantium corda sananda vulnerum sunt servata vestigia.* 2. In ascensione eadem vestigia sunt servata ad crucientium prælii recordationem & gloriæ Christi victoris testificationem. Miles vulnera sua ostentat & enumerat, quæ laudi & gloriæ sibi ducit: sic Christus post crucientium prælium quo cum Satana & ejus ministris confligendum fuit, in gloriosa sua ascensione ostentat vulnera tanquam signa imperialia. Si sponsus aliquis pro sponsa sua usque ad mortem pugnaret & ex pugna referret plagas & vulnera, ea ipsum gloriosum & in oculis sponsæ formosum redderent: sic cicatrices Christi sunt lucidiores & pulchriores solis radiis, inquit Chrysostr. nimirum quia propter nos vulneratus caritatem suam erga nos ostendit. Animæ beatorum in vita æterna procul dubio cupidè expetiverunt diem redemptionis, quando ergo viderunt Christum, quem in nuda divinitate antea conspexerant, in corpore suo glorificato referre vulnerum vestigia, cum gaudio intellexerunt, redemptionis opus gloriôsè ab ipso perfectum fuisse. 3. In adventu ad iudicium ostendet Christus vulnerum vestigia ad impiorum confusio-

nem. *Videbunt, in quem pupugerunt & plangent omnes tribus terre.* Zach. 12. v. 10. Joh. 19. v. 37. Apoc. 1. 7. Diabolus cum horrore intuebitur signa victoriæ, impij cum terrore intuebantur sperti à se redemptionis precii vestigia. August. lib. de symb. Christum in iudicio sic loquentem introducit. *Videtur hominem, quem crucifixistis, videtur vulnera quæ inflixistis, agnoscitis latus quod vulnerastis, quia per vos & propter vos apertum est, & tamen intrare nolulistis.* 4. In statu gloriæ & vitæ æterna Christus retinet illa vulnerum vestigia ad electorum lætitiæ & consolationem, & ad excitandam in illis perpetuam gratiarum actionem. Rutilantia vulnera sunt Biblia practica de certitudine salutis nostræ testificantiæ, ex illis enim intelligimus nos in manibus Christi descriptos esse Esa. 49. v. 16. *fontem in ablationem immunditiei nostræ adhuc patere* Zach. 13. v. 1. Vulnera aperta cælum pijs apertum esse ostendunt: vulnus lateris est chirographum amoris. Cor Patris elucet in Christo, cor Christi ex ipsius vulneribus. Vulnera Christi sunt visibiles literæ invisibilis gratiæ divinæ. Posset etiam haud absurdè cogitari, Christum in sua ad dextram Patris sessione vestigia vulnerum retinere ad illorum coram Patre irato ostensionem, quæ est realis quædam pro pijs intercessio. Rom. 8. v. 34. *Christus in cælum ingressus est, ut appareat vultui Dei pro nobis* Hebr. 9. v. 24. *illi adhuc precia nostræ liberationis ostendit*, dicit Ambros. c. 24. Luca. *Christus intercedit pro nobis apud Patrem* Roman. 8. vers. 34. Joh. 2. v. 1. qualis hæc sit intercessio, non intelligimus, possumus autem quodammodo ex eo intelligere, quod Christus Patri suo cælesti, ostendit cicatrices vulnerum, & hæc Sacerdotalis intercessio per illa vulnera quasi loquitur & interpellat. Quòd si enim sanguis Christi coram Deo loquitur dicitur Hebr. 12. v. 24. *itidem etiam vestigia clavorum coram ipso loquuntur.* In vita æterna summo cum gaudio intuebimur hæc redemptionis præcia. August. lib. 22. de civ. Dei c. 21. *Nescio quomodo sic afficiamur amore Martyrum beatorum, ut velimus in illo regno in eorum corporibus videre vulnere cicatrices, quas pro Christi nomine pertulerunt & fortassè videbimus: quanto magis ipsius Christi cicatrices cum gaudio intueri dabitur? Sic igitur ostensione vulnerum suorum in manibus ac latere Christum incredulum Thomam convertit, & ad fidem resurrectionis perducit, quo pacto non solum Thomæ sed & reliquis discipulis, imò nobis omnibus articulus de resurrectione Christi fuit confirmator factus. Hilar. lib. 3. de Trin. *Ut qui compunctus recognoscendus sit, necesse est, ut corpus in quo compunctus est, attulerit.* Nimirum hæc est miranda & ineffabilis Dei sapientia, quæ ex pessimis hominum actionibus optima quæque elicere potuit. Thomæ incredulitas erat gravissimum peccatum, sed Christus eam novit uti ad articulum resurrectionis suæ magis confirmandum. *Dubitavit ille (inquit Gregorius) ne nos dubitarem, tangendo ille confirmatus est, ut nos in illo confirmaremur, sicq; incredulitas Thomæ confirmat fidem nostram, ex ea enim intelligimus, Apostolos, qui de resurrectione Christi in scriptis suis testantur, non citò nec temerè credidisse, sed re probè prius exploratâ, atq; ea annunciare, quæ oculis suis viderunt, & manibus suis contrectaverunt.* 1. Joh. 1. v. 1.*

Sequitur ergò insignis Thomæ confessio: *Respondit Thomas*

Thomas & dixit: Dominus meus & Deus meus. Ex verbis Evangelistæ non obscurè colligitur, Thomam non prius ad fidem perductum, quàm ipso tactu convictus esset. Debuisset ad primum Christi intuitum pudore ac rubore suffundi; sed audacter & intrepidè digitos suos in vestigia clavorum in manibus, & manum suam in latus Christi ingerit, donec tandem accedente internâ mentis illuminatione respiceret & exclamaret: *Dominus meus & Deus meus.* Quidam disputant, nominativum esse positum pro vocativo, more Hebræorum, apud quos illa *אֱלֹהֵינוּ* sive casuum variatio usitata est, ut videre est ex Psal. 22. v. 1. Matth. 27. v. 46. ac Thomam stupore percussum ex insperatâ rei intuitu & admiratione in hæc verba erupisse. Sed hac ratione ad alium potius quàm ad Christum sermo Thomæ esset directus, ac periret vis argumenti, quod pii veteres unanimi consensu pro altruenda Christi divinitate ex hoc loco colligunt, de quo Cassianus lib. de incarnatione finem scribit: *Sufficit hoc testimonium fidei etiam summæ infidelitati.* Statuendum igitur, hæc Thomæ sententiam esse enunciativam, quâ affirmate testatur, quid de Christo sentiat, ita ut subintelligatur *tu es*; sicut & Syrus in nominativo reddidit *אֱלֹהֵינוּ דְּמוֹתָא דְּדֵי* Dominus meus & Deus meus, perinde ut in Psalmo 31. vers. 15. *אֱלֹהֵינוּ דְּמוֹתָא דְּדֵי* Deus meus tu, verbum *es* subintelligitur. Cùm enim ex ipso intuitu & contactu intelligeret, Christum in eodem corpore, in quo clavis & lancea confixus erat, resurrexisse, cumque audiret, Christum exactè omnia novisse, quæ ad reliquos discipulos protulerat, ex eo colligit, Christum non solum verè resurrexisse, sed etiam per hæc resurrectionem sese Deum ac Dominum potenter declarasse, quia per passionem Christus ingressus est in gloriam suam Luc. 24. v. 26. & per resurrectionem ex mortuis potenter declaratus est Dei Filius Rom. 1. v. 3. idèo Thomas verâ fide suum Dominum ac suum Deum esse confitetur. Describitur ergo in hac Thomæ confessione 1. conversionis nostræ qualitas, 2. veræ fidei proprietates, & 3. Christi resuscitati personæ & majestatis. Conversionem enim nostram videmus hoc loco esse opus gratiæ divinæ, non autem voluntatis humanæ; esse gratuitum donum, non operum nostrorum meritum. Prævenit Christus Thomam suâ gratiâ, antequam ab ipso quæratur, id ipsum etiam in nostra conversione necessarium est. Medium conversionis est verbum. Thomas ante Christi adventum dicit, *non credam*, sed verbis Christi conversus exclamat, *Dominus meus ac Deus meus.* Monetur etiam Thomas, ut à peccato suo desistat, ita etiam conversis proponenda est lex divina, sancta illa bonorum operum norma, juxta quam vitæ cursum instituunt. Vera fides h. l. sic describitur, quod principale ejus objectum sit Christus passus & resuscitatus, quem non simpliciter Deum & Dominum agnoscit, sed suum Deum & suum Dominum: etiam Dæmones credunt Christum esse Dominum & Deum Jac. 2. v. 19. sed hæc nondum est vera & justificans fides, cujus proprium est, in specie Christi beneficia sibi applicare, sicut h. l. Thomas ex vero & vivo fidei sensu pronomen relativum *meus*, bis repetit, quod didicit ex Psal. 110. v. 1. *dixit Dominus Domino meo.* Hæc ergo veræ & justificantis fidei vox est: O Domine Jesu Christe, scio, confiteor & credo, quod sis Deus meus & Dominus meus, qui morte tuâ me

redemisti ex regno & potestate Satanae, qui me potenter & clementer velis contra omnes hostes defendere &c. Hoc fidei pronomen usurpatur etiam à D. Paulo Rom. 1. v. 8. 1. Cor. 1. v. 4. *Gratias ago Deo meo per Christum.* Gal. 2. vers. 20. *Christus dilexit me, & tradidit seipsum pro me*, ex quibus & similibus locis petium est aureolum illud Bernhardsi serm. 1. de annunc. col. 106. *Si credis peccata tua non posse deleri nisi ab eo, cui soli peccasti & in quem peccatum non cadit, benè facis, sed adde adhuc, ut & hoc credas, quia per ipsum tibi donantur peccata, hoc est testimonium; quod perhibet in corde nostro S. S. dicens, remissa sunt tibi peccata tua: sic enim arbitratur Apostolus; gratis justificari hominem per fidem.* Et quia vera fides statuit Christum esse suum Dominum ac suum Deum, idèo perpetuò impellit hominem, ut huic Domino in vitæ novitate serviat, ac fidele obsequium eidem præstet 2. Cor. 5. v. 15. *unus pro omnibus est mortuus, ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est & resurrexit.* Medium per quod talis fides in cordibus accenditur, est verbum visibile & audibile. Quemadmodum enim Christus h. l. vestigia vulnerum suorum Thomæ proponit & per verbum ad fidem eum perducit: ita adhuc hodie in verbo Evangelii contritis cordibus ostendit sua vulnera, in quibus velut in foraminibus petrae ab ira divina abscondantur Cant. 2. v. 14. Et quemadmodum Thomas Christum apprehendit, ita in sacra cœna Christum apprehendimus & ex vulneribus ejus sanguinem bibimus, ut hoc medio fides in cordibus nostris excitetur, augetur & confirmetur. Ea tamen fides est invisibilis, sicut Christus hoc loco dicit: *Beati qui non vident & credunt, ambulamus hic per fidem, tunc autem per speciem promissa Evangelii bona in vitam æternam demum plenè & perfectè possidebimus, quæ fide adhuc expectamus.* Denique vera fides cordis conjuncta est cum confessione oris, sicut Thomas credit & confitetur Psal. 116. v. 10. Rom. 10. v. 9. 2. Cor. 4. v. 13. &c. Persona Christi in hac Thomæ confessione sic describitur, quod consistet ex duabus Naturis divina scilicet & humana; divina Natura exprimitur nomine Dei, humana autem visibilis & palpabilis corporis demonstratione manifestatur. *Nomen enim Dei & Domini hic non est nomen honoris sed Nature, docente ac probante Hilario lib. 7. de Trin. p. 116.* siquidem ex resurrectione colligit Thomas, Christum esse verum Dei Filium, unde D. Paulus Christum per resurrectionem dicit esse declaratum Dei Filium, Rom. 1. v. 4. Aliud est propriâ virtute resurgere, aliud excitari à mortuis, illud solius Christi proprium est, hoc verò cum aliis sanctis commune habet; August. in Psal. 65. *Multi sancti multa miracula fecerunt, nullus verò eorum mortuus resurrexit, ubi etiam hoc vocat signum Christi proprium & potentissimum ad quod Pharisæos & Scribas ipsemet remittit Matth. 12. v. 39.* Quod autem Christus propriâ virtute resurrexerit, testatur ipse, quando Joh. 2. vers. 19. dicit: *destruite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Joh. 10. vers. 17. *nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam à meipso, potestatem habeo ponendi eam & potestatem habeo iterum sumendi eam.* Quid Neophotianis respondendum sit, qui hæc testimonia sophisticè eludentes, negant Christum propriâ virtute resurrexisse, ac nomen Dei improprie

δωνόμας & nuncupativè tantum Christo tribui pugnans, expositum fuit tom. 1. Loc. cap. de Deo Patre & æterno ejus Filio §. 2. 3. 1. 96. &c. Porro quod Thomas Christum non solum vocat *Deum*, sed & *Dominum*, id haud incommode ad divinitatis confirmationem refertur, quia nomen Jehovah LXX. Interpp. semper verterunt κύριος, quod propriè notat Dominum, solus enim Jehovah absolutum imperium & dominium habet super omnia, ipse solus est Rex Regum & Dominus dominantium. 1. Tim. 6. vers. 15. idè Apostoli secuti LXX. Interpp. nomen κύριος Christo tribuunt ad veram ejus divinitatem significandam. 1. Corinth. 8. v. 6. Pater dicitur *Deus*, Filius autem *Dominus*, ex quo colligunt Neo-Photiniani, divinam Christi Naturam non posse ex appellatione Domini probari. Sed si propterea Filius non est verus Deus, quia dicitur Dominus, consequens fuerit, Patrem non esse Dominum, quia dicitur Deus. Rectè ergo Chrysof. homil. 20. Epist. Corinth. καὶ ὁ ἰσὺς εἰς κύριος εἰρηται καὶ εἰς θεὸν τὸ αὐτὸ μόνον τὸ κύριος ἀρμόδιον φάμεν. ὡς ἢ ἐκ τῆς ἰσὺς εἰς θεὸν καὶ ἰσὺς, ταύτην καὶ θεὸν καὶ πατέρα καὶ καθάπερ οὐκ ἐξ ἑαυτοῦ τὸ πατέρα τὸ κύριον ἀναί, οἷος εἰς κύριος, καὶ εἰς θεὸν λέγειν κύριον τὸ ἰσὺς, ὅτις οὐδὲ τὸ ἰσὺς ἐκ τῆς εἰς θεὸν, οἷος εἰς θεὸς ὁ πατὴρ λέγειν τὸ εἰς θεὸν τὸν πατέρα. Ambros. in h. l. *Unum Deum Patrem, dixit, & unum Dominum Jesum, Filium ejus, ut quia Deus non potest non esse Dominus, similiter & Dominus intelligatur esse & Deus, atque unum esse Deum & Dominum demonstrare, modum unius principii conservando.* Idem in Plal. 43. Thomam sic loquentem introducit. Non credidi prius, quia nesciebam te esse Deum meum, at nunc credo, te esse Deum, quia fecerem attingens scalæ (Cant. 2. vers. 4.) resurrexisse te video: prius quia non credidi divinitatem, negabam resurrectionem, at nunc videns resurrectionem confitere tuam divinitatem. Oecumenius h. l. *Ne arbitraris Patri quidem Deitatem, Filio autem peculiariter dominationem contributam, in multis enim Scripturæ locis Patrem quoque Dominum vocant* Psalm. 110. *similiterque Deum Filium* Psalm. 45. Rom. 9. quod pertinet etiam hæc Thomæ confessio, in qua Christum disertè & Dominum & Deum vocat. Ergo nomen Domini non immeritò ad confirmandam divinam Christi Naturam refertur, interim tamen cum nomen Dei & Domini hoc loco conjungantur, videtur prius referri ad divinam, posterius ad humanam Christi Naturam, ut hæc ratione duplici jure Christus sit & dicatur Dominus. Juxta divinam Naturam est Dominus per æternam à Patre generationem, juxta humanam Naturam Deus ipsum fecit Dominum, Actor. 2. vers. 36. *dedit ei potestatem omnis carnis* Johan. 17. vers. 2 *& constituit eum super omnia Dominum* Psalm. 8. vers. 7. priori ratione est Dominus genitus, posteriori ratione est Dominus factus. Quod enim hæc testimonia directè & immediatè non possint referri ad divinam Christi Naturam patet ex eo, quod in tempore dicitur factus Dominus, id quod de divina Natura non potest affirmari, ut multis in locis pii veteres probant atque alibi latius à nobis fuit demonstratum. Ut autem Christus duplici jure est Dominus, ita quoque duplici jure est etiam noster Dominus, sicut Thomas hoc loco eum vocat *suum Dominum*. Jure creationis Filius

Dei unà cum Patre & Spiritu sancto est noster Dominus, cui ad serviendum & obediendum hoc nomine obstricti sumus, sed præter beneficium creationis etiam hoc nobis præstitit, ut nos per peccatum in potestatem Satanæ redactos potenti manu ex ipsius regno eriperet, sibi jure redemptionis nos assereret, ergo non solum jure creationis, sed etiam jure redemptionis est noster Dominus, idè Thomas ipsum ex pugna reducem gloriosum victorem Domini appellatione honorat. Sic ergo ad tertium genus communicationis idiomatum pertinet hæc prædicatio, quando Thomas Christum vocat Dominum suum, quia secundum humanam Naturam donatum est ei illud dominium super omnia; neque tamen propterea ad probandam Christi divinitatem appellatio Domini redditur inefficax, sed in hac communicatione gloriæ, potestatis & domini divinitas præsupponitur, cum sit personalis communicatio, nequaquam verò essentialis divinarum attributorum in humanam Naturam transfusio, proinde nisi secundum divinam Naturam hæc gloria, potestas & dominium Christo competere essentialiter, non potuisset humana ipsius Naturæ communicari personaliter. Cæterum ut in appellatione Domini proponitur prædicatio ad tertium genus communicationis idiomatum pertinens; ita in appellatione Dei continetur prædicatio ad primum genus communicationis referenda: Quia enim Thomas tangens & videns corpus Christi, Deum suum tangere dicitur, eo ipso arctissima & inpericrabilis duarum Naturarum unio exprimitur, per quam divina Natura assumptæ carnis personaliter sibi unitæ proprietates, actiones & passiones sibi appropriat. Chrysof. hom. de Trin. t. 3. col. 911. refert, huc dictum Psalm. 77. v. 2. *Manibus meis Dominum exquisivi & non sum deceptus.* Sed Hebræa veritas aliter legit Sic Apostoli *Verbum vite oculis suis vidisse & manibus suis contrectasse dicuntur* 1. Johan. 1. vers. 1. quia viderunt & contrectarunt corpus personaliter λόγος unitum. Judæi crucifigentes Christi carnem, Dominum gloriæ crucifixerunt 1. Corinth. 2. vers. 8. *& autorem vite interfecerunt* Actor. 3. vers. 15. quia caro, quam crucifixerunt, non fuit nudi hominis sed ipsius Dei propria caro. Quam verè igitur homini tribuuntur ea, quæ in suo corpore patitur & sustinet, propter essentialem animæ & corporis unionem; tam verè etiam ipsi Filio Dei, ipsi λόγος tribuuntur ea, quæ in assumptæ carne sustinuit, propter personalem λόγος & carnis unionem, Actor. 20. v. 28. *Deus suo sanguine acquisivit Ecclesiam.* 1. Joh. 1. v. 7. *Sanguis Jesu Christi Filii Dei emundat nos ab omni peccato.* Quamvis ergò divina Filii Natura in se & per se sit απάθης, nec videri tangivè possit, rectè tamen dicitur, quod Filius Dei verè sit passus, quod Verbum vite ab Apostolis visum & contrectatum sit, nimirum, quia caro, juxta quam ὁ λόγος ἐν σαρκί passus est, ac videri & contrectari voluit, arctissimo & individuo nexu personaliter scilicet ipsi est conjuncta. Hæc alibi latius explicantur.

Quale autem judicium fert Christus de hac Thomæ confessione? *Quia vidisti me Thomam* (inquit) *credidisti, beati qui non viderunt & crediderunt.* Approbat Christus his verbis Thomæ fidem & confessionem, atq; hoc ipso se verum Deum ac Dominum esse demonstrat, nunquam enim passus fuisset hono-

honorem Patri falsò ereptum in se transferri, nisi verè ejusdem particeps & consors esset. Hilar. lib. 7. de Trin. *Religiosus filius & qui non voluntatem suam, sed ejus qui miserat se, faceret: & qui non honorem suum, sed ejus, à quo venerat, quæret, honorem hujus in se nominis recusasset, ne quod ipse unum prædicaverat, solveretur.* Illud verò oblique improbat, quòd Thomas credere noluit Apostolorum testificationi, antequam ocularis demonstratio & judicium sensuum accederet: approbatrem ipsam, sed modum rei improbat, ideoque beatos prædicat eos, qui non viderunt & crediderunt, quæ verba cum sint indefiniti atque indeterminati temporis *ἐπιδοσες ἡ πιστεύσασες*, rectè ad præteritum, præsens ac futurum tempus more Hebrææ linguæ referuntur. August. tract. 121. in Joh. *Præteriti temporis usus est verbis, tanquam ille, qui quod erat futurum, in sua novæ prædestinatione jam factum.* Atque ex his Christi verbis defumtum est, quòd Petrus laudat fideles, qui in Christum credunt, quem non viderunt. *Cum non videritis Christum, ait 1. Epist. 1. v. 8. diligitis eum, quem nunc quoque non videntes, credentes autem exaltatis gaudio inenarrabili.* Commendat ergo Christus ministerium verbi & prædicationem Apostolorum. Noluit ipse singulis diebus resurrectionis suæ veritatem novis manifestationibus comprobare, ac singulis hominibus seipsum redivivum exhibere, sed elegit Apostolos resurrectionis suæ testes, quibus per quadraginta dies, qui inter resurrectionem & ascensionem intercedunt, aliquoties apparuit, ac multis *τεκμηρίοις* resurrectionem suam illis comprobavit, ut de ea in toto orbe postea publicè testarentur. Act. 10. v. 40. *Deus suscitavit Christum tertia die, & dedit eum manifestum fieri. v. 41. non omni populo sed testibus præordinatis à Deo, nobis, qui manducavimus & bibimus cum illo, postquam resurrexit à mortuis. vers. 42. & præcepit nobis prædicare populo & testificari &c.* Hoc testimonium Apostolorum, quod in ipsorum scriptis & in prædicatione verbi adhuc hodie aures nostras circumsonat, Christus hoc loco commendat, & confirmat, beatos fore eos, qui fidem illi habent, licet exterius Christum nec videant nec tangant. Nequaquam igitur expectamus in hac vita novas è cælo revelationes, sed audiamus verbum, quod est fidei accendendæ & augendæ medium ordinarium, sicut Joh. 17. vers. 20. Christus rogat pro omnibus, qui per verbum Apostolorum credituri sunt in ipsum. Atque ex hoc Christi pronunciatu defumta est descriptio fidei, quæ extat Hebr. 11. v. 1. quòd fides sit *περὶ πραγμάτων ἐλεγχῶν & ἄετι πορευμένων*: ex eo etiam promanarunt dicta veterum. *Fides non habet meritum, ubi ratio præstat experimentum. Sit autem credis, quod vides, quid est tua fides? Fides est credere, quod non vides, merces autem fidei videre, quod credis.* Leo ferm. 2. de ascens. Dom. c. 1. *Valde fidelium lumen est animarum incunctanter credere, quæ corporeo non videntur intuitu & ibi figere desiderium, quo non possunt dirigere aspectum.* Specialiter vero hoc pronunciatum applicari potest ad majestatem Christi, quam Thomas erat confessus. Scriptura testatur, Christo omnia in manus tradita & omnia pedibus ejus subiecta, sed nunc nondum videmus omnia illi subiecta esse Heb. 2. v. 8. in persecutores Ecclesiam ipsius gladio, hæretici vero hanc ipsius gloriam stylo & voce oppugnant, sed nos verà fide statuamus,

ipsum ad summam illam sublimitatem & gloriam evectum esse, quæ in extremo die publicè manifestabitur. Cum vero Christus eos solum beatos pronunciet, qui non vident & credunt, an ab hac beatitudine Thomas excluditur, qui non credit, antequam videret? minimè verò. Quamvis enim hic fuerit insignis nævus in Thoma, quòd non nisi prægresso visu ac tactu credidit, ex eo tamen fidei ipsius nihil decedit, quòd minus sit vera & salvifica fides. Quemadmodum igitur Petrus cum apud Matthæum suo & reliquorum collegarum nomine idem profiteretur, quod h. l. Thomas vicissim à Christo audit: *Beatus es Simon Bariona* Matth. 16. v. 17. itaque; Thomas h. l. per fidem beatus prædicatur. Oppositum autem est hoc Christi axioma illis, qui nolunt verbo prædicato fidem habere, sed judicium rationis ac sensuum ei præferunt, vel novas è cælo revelationes expectant, illis prædicatur, quòd frustra tale quid, quale Thomæ h. l. contigit, præfolaturi sint, ideoque nisi perire velint, verbo contra omne sensuum ac rationis judicium esse credendum. At quomodo cum eo, quòd Christus h. l. dicit: *Beati qui non vident & credunt*, convenit illud, quòd Luc. 10. v. 23. dicit ad discipulos: *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis?* Lyranus respondet, *duplicem esse beatitudinem, unam hæc, quæ habetur in presenti seculo & consistit in merito futura beatitudinis, ideo beator est hoc modo, qui plus meretur, plus autem meretur, qui credit non videns quàm videns: alteram rei, quæ principaliter in aspectu & fruitione Deitatis & ex consequente in visione humanitatis Christi consistit, de qua verbum Luca intelligendum esse dicit.* Sed ostendimus in tractatu de justificatione fidem non meritorie sed instrumentaliter justificare, neque Christus apud Lucam de beatitudine futura vitæ, sed de beatitudine & prærogativa quadam Apostolorum in hac vita loquitur. Dicendum igitur, quòd Christus tribus modis videatur 1. oculis tantum corporalibus, quo modo Caiphas, Pilatus & reliqui increduli eum viderunt. Hic intuitus per se non beat, sed est causa majoris damnationis, nisi fides accedat, quia videntes non vident Esa. 6. vers. 9. Matt. 13. v. 14. Marc. 4. v. 12. Luc. 8. v. 10. Joh. 12. v. 40. h. e. etiam oculis corporalibus Christum viderunt, non tamen oculis fidei. 2. oculis tantum spiritualibus, quo modo credentes omnium temporum Christum vident, sicut & nos in Christum credimus, eumque diligimus, etiam oculis corporalibus eum non conspexerimus 1. Pet. 1. vers. 8. Hic intuitus Christi ad salutem sufficit, sicut Christus hoc loco dicit: *Beati, qui non vident & credunt*, hoc est, quamvis in posterum non sim eo modo, quo factum est hætenus, visibiliter scil. in terris versaturus ac me redivivum exhibiturus, ex eo tamen beatitudini eorum nihil decedit, qui per verbum Apostolorum in me credent, quem non viderunt. 3. corporalibus & spiritualibus oculis simul, quo modo videbant eum discipuli, atque hæc erat singularis quædam ipsorum prærogativa, quæ ipsorum beatitudinem quasi conduplicavit. De hoc intuitu loquitur Christus apud Lucam, quando discipulos suos propter aspectum spiritualem & corporalem simul beatos prædicat, priori aspectu se juncti erant à Scribis, Phariseis, Pontificibus, &c. posteriori à Patriarchis & Prophetis V. T. Hæc certè erat magna discipulorum prærogativa,

gativa, sed eadem continget omnibus electis in vita aeterna, ubi itidem videbunt Christum à facie ad faciem 1. Cor. 13. v. 12. interim in hac vita cognitione fidei coguntur esse contenti, per quam nihilominus sunt beati, sicut hoc loco μακαρισμός fidei tribuitur, atq; hic μακαρισμός Rom. 4. v. 7. & 8. sic exponitur ab Apostolo Paulo, quod complectatur gratiam Dei, remissionem peccatorum, justificationem & salutem aeternam. In sequentibus verbis Evangelista hunc μακαρισμός sic declarat: *Hæc scripta sunt, ut credatis Jesum esse Christum Dei Filium, & credentes vitam habeatis in nomine ipsius.* Thomas adhuc incredulus erat, injustus, infelix & damnatus, quia enim non habebat Christum, in quo solo est iustitia, Dei gratia, salus & vita, ideo non habebat veram iustitiam, nec Dei gratiam, nec salutem: sed postquam agnoscit Christum & fit credens, fit etiam iustus coram Deo & beatus, quia in Christo hæc omnia per fidem accipit 1. Joh. 5. v. 11. *vitam aeternam dedit nobis Deus & hæc vita in Filio ejus est. v. 12. Qui habet Filium, habet vitam, qui non habet Filium Dei, vitam non habet.*

Atque huc spectat conclusio Evangelistæ, in qua per ἀγάλην addit, Christum alia plura signa coram discipulis fecisse, quæ non sunt scripta, simul etiam finem & fructum descriptionis suæ exponit, ut videlicet per eam adducamur ad fidem, ac per fidem ad vitam aeternam.

I. *Multi quidem & alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in hoc libro.* Quidam statuunt, hanc esse generalem clausulam, quæ ad totam Evangelicam Historiam à Johanne descriptam referenda sit, ita ut non tam propter præcedentem Historiam de manifestatione Christi, coram discipulis, quam propter integrum systema Evangelicæ Historiæ à Johanne fuerit addita. Sed quia Johannes nominatim loquitur de talibus signis, quæ facta sint ἐνώπιον τῶν μαθητῶν, non in conspectu omnium, sed tantummodo coram discipulis, & quia sub finem capitis sequentis demum talis generalis clausula additur, ideo textui convenientius videtur ad præcedentem solum Historiam hanc præteritionem referre, quamvis ipsa sententia sit verissima, quod sc. Christus non solum plures conciones habuerit, sed etiam plura miracula fecerit, quam quæ ab Evangelistis scripta sint. Vox σημεῖα significat primò indicium, argumentum, signum &c. est, quæ generale complectens signa tum necessaria, quæ dicuntur τέκνημα, tum verisimilia tantum & probabilia quæ dicuntur ἀπόδειξις. Eo modo accipitur Matt. 16. v. 3. c. 26. v. 48. Luc. 2. v. 12. deinde accipitur pro miraculo, portento, &c. quæ significatio in scriptis Evangelistarum utilitissima est Matt. 12. v. 38. c. 16. v. 1. &c. sicq; σημεῖα & τέκνημα ut plurimum conjunguntur Matth. 24. v. 24. Joh. 4. v. 48. Act. 2. v. 43. c. 4. v. 30. &c. LXX. utuntur pro χαρακτήρ, signum externum & visibile ab ἔπιθεν venit, Gen. 1. v. 14. c. 4. v. 15. &c. Item miraculum Exod. 4. v. 9. 17. &c. 2. Par. 3. v. 24. accipitur pro ἰσχυρὸν quod alibi vertunt per τέρας prodigium, portentum. Juxta priorem vocabuli σημεῖα significationem erit sensus, quod Christus pluribus τέκνημα τοῖς se verè resurrectisse & vivere coram discipulis demonstraverit per quadraginta illos dies, quibus ante suam ad cælos ascensionem cum ipsis fuerit conversatus, Act. 1.

Harm. Tom. III, vel Gerhard. Cont. pars quinta.

v. 3. apparuit discipulis, collocutus est cum eis, passus est se contrectari, ostendit vestigia vulnerum in manibus, pedibus & latere, manducavit coram ipsis, &c. Hæc omnia fuerunt signa & τέκνημα resurrectionis, quæ ab Evangelistis sunt descripta, præter hæc etiam modis aliis se verè resurrectisse & vivere demonstravit intra quadraginta illos dies, qui modi non sunt annotati. Juxta posteriorem σημεῖα significationem erit sensus, quod Christus miraculis coram discipulis editis non solum resurrectionis veritatem sed etiam majestatem suam comprobaverit, quæ tamen non sint descripta. Atque huic interpretationi pulchrè congruit phrasis τῶν σημεῖα, quæ usitatè de miraculorum operatione apud Johannem accipitur Joh. 2. v. 11. cap. 3. v. 2. c. 4. v. 54. c. 6. v. 14. c. 7. v. 31. c. 9. v. 16. c. 10. v. 41. c. 11. v. 47. c. 12. v. 18. & 37. In his locis omnibus τῶν σημεῖα significat facere miracula, utiq; ergo etiam hoc loco phrasis sic accipienda est. Eadem significatio congruit cum miraculoso Christi ad discipulos ingressu, venit enim januis clausis ac repente stetit in medio, quod certè fuit magnum miraculum. Item cum historia sequentis manifestationis, in qua congeries variorum miraculorum ponitur, quinimò ipsa Christi apparitio, manducatio & contrectatio non immeritò inter miracula referuntur, cum juxta ordinarium modum corpus glorificatum nec videatur nec tangatur, nullius etiam cibi sit indigum. Sed cur reliquæ Christi apparitiones & signa reliqua, quibus resurrectionem & majestatem suam discipulis demonstravit, non sunt scripta? Quidam verba Evangelistæ simpliciter sic accipiunt, quod ad reliquorum Evangelistarum Historiam nos remittat, cum notanter addatur, in hoc libro, ut sit sensus, quamvis in hac Historia Evangelica non potuerint omnes Christi apparitiones & omnia miracula describi, ea tamen à Matthæo, Marco & Luca descripta esse, ex quibus sint repetenda, constat enim Johannem ultimo loco inter Evangelistas scripsisse, cum reliqui Apostoli morte sublatis essent, tunc ut scribit Euseb. lib. 3. cap. 24. excitata Ebionis & Cerinthi heresi trium Evangelistarum scripta probavit ac veritatis testimonium illis dedit, quin & ea quæ præter illorum narrationes à Christo dicta & facta esse sciebat: conscripserat suam Evangelicam Historiam adjecit & Ecclesie exposuit. Hæc sententia satis quidem commoda est, sed quaesito nondum satisfacit, certum enim est, multa Christum fecisse & dixisse, quæ nec à Johanne nec à reliquis Evangelistis sunt descripta. Dubitari omninò nequit, esse quasdam apparitiones & quædam signa, quæ nec à Johanne nec à reliquis Evangelistis sunt annotata, apparuit Christus Petro, apparuit Jacobo, sed neutra harum apparitionum descripta est ab Evangelistis: neque annotata sunt integræ conciones, quas post resurrectionem ad discipulos habuit: quinimò Christus etiam ante passionem plures conciones habuit ac plura miracula fecit, quam ab Evangelistis sunt descripta. Cur igitur descriptionem eorum Evangelistæ prætermiserunt? Pontificii ex eo imperfectionem Scripturæ conantur probare, ut patet ex Bellarmino lib. 4. de verbo Dei cap. 5. testim. 1. sed huic cavillo jamdudum occurrit Johannes, qui v. seq. addit: *Hæc scripta sunt, ut credatis, Jesum esse Christum Filium DEI, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* Si ergo ex illis quæ scripta sunt, fidem in Christum discere, & viam vitæ aeternæ

SS

aeternæ

æternæ cognoscere possumus, utiq; Scripturæ perfectioni nihil ex eo decedit, quod non omnes Christi conciones nec omnia ejus miracula sunt scripta. Quando Scripturam esse perfectam dicimus, nequaquam hoc volumus, quod omnia & singula dicta & facta tum Christi tum Prophetarum & Apostolorum in ea contineantur, sed quod omnes fidei articuli in ea proponantur; singularia dicta & facta Christi & Apostolorum, quæ ad pleniorum capitum fidei explicationem pertinuerunt, perfectioni Scripturæ nihil derogant, cum fuerint ejusdem omnino generis cum illis quæ scripta sunt. Quod si rectè concluditur, Scripturam ideò imperfectam esse, quia singula dicta & facta Christi in ea non proponuntur, pari ratione inferri poterit, nec Scripturam cum ipso traditionum supplemento perfectam esse. Quamvis enim magnam traditionum congeriem recenseant Pontificii, nondum tamen singula Christi dicta & facta enumerare potuerunt vel etiam poterunt. August. tract. 96. in Johan. *Cum Christus ea tacuerit, quis nostrum dicat, illa vel illa sunt? aut si dicere audeat, unde probat? quis enim est tam vanus aut temerarius, qui cum dixerit etiam verba quibus voluerit & quæ voluerit, sine ullo testimonio divino affirmet ea esse, quæ tunc Dominus dicere voluit?* Quare cum doctrinam Ecclesiæ suæ non patiantur dici imperfectam, licet non possint singula Christi dicta & facta recensere, nec Scripturam hoc nomine imperfectionis cujusdam accusent. Et enim ut præclare Augustinus scribit tract. 49. in Johan. *Electa sunt, quæ scriberentur, quæ saluti credentium sufficere visa sunt, cum quo consentit illud Cyrilli lib. 12. in Johan. cap. 68. Non omnia, quæ Dominus fecit, conscripta sunt, sed quæ scribentes tam ad mores, quam ad dogmata putarunt sufficere, ut rectè fide & operibus ac virtute rutilantes ad regnum calorum perveniamus per Christum Jesum.* Quare verò Spiritus sanctus non voluerit singula Christi verba & facta conscribi, rationem reddit Johannes cap. seq. vers. ult. non ut ex sermone pectoris Papalis eorum supplementum quæramus, sed quia mundus non caperet eos libros, si xab' in singula fuissent scripta, quod Augustinus dicit, non esse intelligendum, de mole librorum nec de locali capacitate, sed quod Spiritus sanctus nostri habuerit rationem & ea selegerit conscribenda, quæ in hac infirmitate credentes capere possent. Gratia igitur mente & reverenter agnoscere atque amplecti debemus illud Spiritus sancti beneficium, quod ad nostram se demiserit infirmitatem, & noluerit eam nimium onerare, sed de doctrina & miraculis Christi ea selegit & dictavit conscribenda, quæ ad veram fidem & vitam æternam sufficere & necessaria esse judicavit, ut rectè scribit D. Chemn. p. l. exam. Concil. Trid. cap. de Scriptura N. T. Præterea voluit Deus hac ratione occurrere tædio, quod ex copia & mole librorum oboriri poterat. Cibi in magna copia & varietate apposti nausæ pariunt, idem fuisset metuendum, si omnia Christi dicta & facta cum circumstantiis omnibus in scriptis fuissent relicta. Ergo ut scriptione necessariorum fami, ita præteritione reliquorum tædio nostro voluit Deus occurrere. Audiverunt Pharisei quotidiana Christi conciones, viderunt quotidiana ejus miracula, sed illis nihilo facti sunt meliores. Cum primis verò notandum, quod ea quæ à Johanne & reliquis Evangelistis prætermissa sunt, fuerint ejusdem

omnino generis cum iis, quæ descripta extant. Sic Christus plures conciones habuit, quam ab Evangelistis annotata, sed in illis eadem doctrinæ capitula legem scil. & Evangelium, poenitentiam & remissionem peccatorum, fidem & caritatem proposuit, quæ in concionibus scripto relicta satis perspicuè & manifestè exposita habemus. Plura etiam miracula fecit, quam ab Evangelistis descripta sunt, sed illis, quæ annotata extant, satis firmiter nostra fides in Christum munitur; si quis eis non credit, is nec crederet, si vel maximè plura miracula scripta extarent. Fuit hæc singularis prærogativa istorum temporum, quod Christus divinis concionibus ferè quotidianis cœlestem doctrinam exposuit, eandemq; miraculis numero ferè infinitis confirmavit, postquam autem illa, quæ videbatur mundo nova, doctrina satis exposita & confirmata est, ejus summa per Dei voluntatem ad usum futuororum seculorum est descripta. Chrylost. hom. 87. in Joh. edit. Græc. *Cur non omnia transegerunt Evangelistæ? maxime propter eorum multitudinem. Præterea & illud considerant, quod qui his non crediderit, neque pluribus credet, qui verò hæc acceperit, non indigebit pluribus ad fidem assequendam, & deinde deus etiam etiam eis totum & universum dicitur.* Nequaquam ergo cavilemur, an reliqua quæ Christus docuit & fecit, quæ scripta non sunt, fuerint otiosa & inutilia ad fidem & mores; an Christus inanem operam & laborem in illis posuerit & c. sed contenti sumus sobrietate Canonis, qui certo Dei consilio intra hos limites ac terminos conclusus est, & illis quæ scripta sunt, cum ad fidem discendam & salutem consequendam sint sufficientia, reverenter cum pia gratiarum actione utamur. Ut enim Christi excellentia & majestas proponitur nobis in eo, quod tot ac tanta dixerit & fecerit, quæ non possint scriptionis limitibus comprehendere: ita vicissim Scripturæ perfectio & majestas proponitur in eo, quod ex illis, quæ scripta extant, sufficienter instrui possimus ad salutem. Ita namque subjungit Johannes.

2. *Hæc autem scripta sunt, ut credatis, quod Jesus sit Christus Filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* Græci fontes articulum emphaticè bis repetunt, ut credatis, quod Jesus sit ὁ Χριστός ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, promissus ille Messias, Filius ille Dei, cujus adventum in mundum Prophæta prænunderunt. Syr. ארמיהוה ille Messias. Proponitur igitur in his verbis finis scriptorum Evangelicorum, quæ est fides in Christum Dei Filium; & finis fidei in Christum, quæ est vita æterna. *Hæc scripta sunt, ut credatis, quod Jesus sit Christus Filius Dei.* Vocabulum ταύτα tum in genere ad totam Scripturam Evangelicam, tum in specie ad descriptionem miraculorum referri potest, ut superius ostendimus, eorum enim omnium finis est fides in Christum. Videmus ergo verum & legitimum usum miraculorum, quo sine à Christo sint edita & ab Evangelistis annotata, videl. non solum delectationis cujusdam gratiæ, & ut legendis illis tempus teramus, sed ut confirmemur illis in fide, quod Jesus sit Christus, hoc est, promissus Messias oleo lætitiæ præ consortibus unctus Psal. 45. v. 8. de quo Esa. 35. v. 4. & alibi passim prædictum, quod talia miracula sit facturus: & quod hic Messias non sit nudus homo, sed Dei Filius, quippe qui divinitatem suam tot miraculis confirmavit. Si dicas, non posse ex miraculis Christi divinitatem pro-

probari, cum similia etiam sancti Dei homines in V. ac N. T. fecerunt. Resp. miraculis tanquam celestibus signis & divinis testimoniis confirmatur veritas doctrinae, quam proponit is qui edit miracula, sunt enim sigilla doctrinae: Jam vero nullus prophetarum in V. nullus Apostolorum in N. T. sese Filium Dei professus est, sed solus Jesus Mariae filius docuit, quod sit Dei Filius, promissus ille Messias, quem Prophetae promiserunt & de eo testati sunt, esse verum Dei Filium, ergo miracula ipsius hanc doctrinam confirmant. Adde, quod non solum in modo miraculorum faciendorum (Christus quippe propria, reliqui vero aliena virtute ea fecerunt) Act. 3. v. 6. sed etiam in ipsis miraculis Christi & aliorum sanctorum magnum sit discrimen; Christus enim fecit quaedam miracula, qualia nullus Prophetarum vel Apostolorum unquam fecit. Joh. 9. v. 32. *a seculo non est auditum, aperire oculos caeci nati.* Concipi a Spiritu sancto sine virili semine, nasci ex virgine illa so virginalis integritatis claustrum, resurgere a mortuis virtute propria &c. nulli alii competere vel tribui potest, quam soli Christo. Videmus igitur hunc utrumque miraculis hoc loco dari, quod sunt fidei adminicula & fulcra, siquidem excitant & praeparant mentes hominum, ut credant Dei verbo ac promissis, quae etiam sine miraculis sunt *αἰσθητά* vel ut Apostolus loquitur 1. Tim. 1. v. 15. *καὶ ὁ θεὸς δεικνύσκει αἰσθητά.* Miracula fidem confirmant, non autem largiuntur, qui enim non ex verbo sed ex miraculis credunt, tempore tentationis non subsistunt, unde cum divitis epulonis fratres ad Moysen ac Prophetas remitterentur, dives autem replicaret, si quis ex mortuis ad eos venerit, poenitentiam agent, respondit Abraham: *Si Moysen & Prophetas non audierint, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent,* Luc. 16. v. 31. inde etiam factum, quod cum tanta miracula Christus coram Judaeis faceret, plerique tamen eorum non crederent Joh. 12. v. 37. nimirum, quia verbum contemnebant, quod est proprium & immediatum fidei principium ac fundamentum. Sed cum finis doctrinae & miraculorum Christi ab Evangelistis descriptorum sit non solum fides, sed etiam poenitentia & bona opera, cur tantummodo fides hoc loco pro fine assignatur? resp. loquitur Johannes non de nuda fidei professione, quae etiam in securis & hypocritis locum habet, sed de vera & salvifica fide, quae non habet locum absque vera & seria poenitentia, & quae per caritatem atque alia illius generis bona opera semper est efficax. Haec fides sic describitur hoc loco, quod sit credere, quod Jesus sit Christus Dei Filius, h. e. quod sic dilexerit mundum ut Filium suum unigenitum daret, qui in ara crucis propter peccata nostra mortuus, & propter justificationem nostram resuscitatus, quamvis enim fides, quatenus est notitia & assensus, objecti habeat omne id quod in verbo revelato credendum proponitur, tamen quatenus est fiducia, objecti, adaequati loco habet solum Christum in officio redemptionis; eum amplectitur, illi inhaeret, ipsius merito innititur & in eo gratiam Dei, remissionem peccatorum, justitiam & vitam aeternam accipit, sicut paulo post hoc loco additur: *ut credentes vitam habeatis in ipsius nomine*, ubi non agitur de vita naturali, cujus participes sunt etiam increduli, sed

de vita spirituali, caelesti & aeterna, ideo Syrus addit *ἡ ζωὴ αἰώνια, quae est in aeternum.* Naturam omnes sumus mortui in peccatis Ephes. 2. vers. 1. Col. 2. v. 13. *alienati a vita Dei* Eph. 4. v. 18. obnoxii ejus irae & morti aeternae; sed in Christo iterum nobis donata est gratia Dei, justitia & vita aeterna. 1. Cor. 1. 30. *Qui ergo credit in Christum & vera fide eum recipit atque amplectitur, is in Christo gratiam Dei, justitiam, & vitam aeternam accipit, h. e. absolvitur a peccatis, reputatur justus coram Deo, vivit in fide Filii Dei, ideo etiam si mortuus fuerit, tamen in novissimo die resuscitatur ad vitam aeternam, sicut in multis Scripturae dictis, praesertim vero in Johanne haec ita declarantur, Joh. 3. v. 16. 18. 36. c. 4. v. 14. c. 5. v. 24. c. 6. v. 35. 39. 47. 51. cap. 10. v. 27. 28. c. 11. v. 25. 26. cap. 14. v. 6. cap. 17. v. 2. &c. 1. Joh. 5. v. 11. 12. 17. Nec otiose additum, quod credentes vitam habeamus in ipsius nomine, Syrus verit. *ἡ ζωὴ ἐν ὀνόματι* vel *per nomen ejus*, hoc est, in Christo, per Christum & propter Christum fide apprehensum, donatur nobis vita spiritualis caelestis & aeterna, sicut etiam alibi haec phrasia eo sensu usurpatur Act. 4. v. 12. *Non est in alio quoquam salus, neque enim aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri* Act. 10. v. 43. *Hic omnes Prophetae testimonium perhibent, quod remissionem peccatorum accepturus sit per nomen ejus omnis, qui credit in eum* 1. Cor. 6. v. 11. *Justificati estis in nomine Jesu Christi.* 1. Joh. 2. v. 12. *Scribo vobis, filii, quia remittuntur vobis peccata ἕνεκα τοῦ ὀνόματος, per & propter nomen ejus.* Sic ergo hac phrasia omne meritum justitiae & vitae aeternae nobis denegatur & soli Christo tribuitur, cum justus & beatus simus non in nobis nec propter nos vel quicumque in nobis, sed in Christo & propter Christum fide apprehensum, & valde emphatica est nominis appellatio, sensus enim est, quod nihil queat nominari vel excogitari, in quo justitia coram Deo valens & vita aeterna consistat, quam solus Christus. Ostendit etiam haec phrasia, quod Christi beneficia in verbo Evangelii offerantur, quod verbum velut correlatum suum perpetuum fides respicit & amplectitur, nondum videmus Christum, sed nomen ejus audimus, h. e. in verbo proponitur nobis Christus cum suis beneficiis, quae fide sunt apprehendenda. Item in Christi nomine vitam habere dicimur, quia est Mediator & Salvator noster non tantum merito, sed etiam efficacis. Ut in Christi nomine, id est, virtute Christi miracula fecerunt Apostoli Act. 3. v. 6. ita quoque in Christi nomine habemus vitam, quia divina sua virtute efficaciter eam in nobis operatur. Denique in Christi nomine vitam habere dicimur, quia ad solius Christi gloriam nostrae justificationis & salvationis ratio spectat, cum enim nostri respectu sit mere gratuita, a Christo autem precioso sanguinis Iyetro parta, ideo ipsius nominis tantum omnis debetur gloria Psalm. 115. v. 1. *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* 2. Thess. 1. v. 11. *Deus impleat opus fidei in virtute.* v. 12. *ut clarificetur nomen Domini nostri Jesu Christi in vobis.**

Admoveo dextram lateri, manuumq; pedumq; Vulneribus, verum sed pie Christe fide,



CAPUT CCXIV.

CHRISTUS MANIFESTAT SE DISCIPULIS
AD MARE TIBERADOS.

JOHANN. 21. v. 1.

RATIO ORDINIS.

Connexionis rationem ostendit transitio *μετὰ ταῦτα, post hæc*, per quam hæc manifestatio Christi circa mare Tiberiados in Galilæa cum præcedentibus, quæ in Judæa contigerant, immediate connectitur. Adde, quod Johannes hanc manifestationem circa mare Tiberiados vocat *tertiam*, atqui tertia non erit, si postponatur illi, quam Matthæus describit, quæ itidem in Galilæa, sed coram pluribus; nec circa mare, sed in monte quodam facta. Statuendum igitur, cum Apostoli peractâ Paschali festivitate juxta mandatum Christi Hierosolymis in Galilæam, ex qua plerique eorum oriundi erant, rediissent, quod ante solennem illam & publicam in monte Galilææ manifestationem à Christo promissam, apparuerit eis circa mare Galilææ, quam manifestationem Evangelista hic describit. Cæterum cum Johannes sub finem capituli præcedentis clausulam generalem addidisse videatur, ideò quibusdam videtur, caput hoc vigesimum primum non ab ipso Johanne, sed ab alio quodam Evangelicæ Historiæ adjectum esse. Sed ostendimus paulo superius, clausulam illam præcedentis capituli non esse *generalem*, quæ spectet totam Evangelicam Historiam, qualis in hoc 21. capite demum sequitur, sed *specialem*, quæ primò & propriè ad Historiam manifestationis Christi coram discipulis post resurrectionem factæ pertineat. Duplex autem potest dari ratio, propter quam hanc Christi manifestationem à reliquis Evangelistis prætermittam præcedentibus annectere D. Johannes voluit. Primò cum in præcedentis Historiæ clausula dixisset, *Christum multa alia signa coram discipulis fecisse*, quibus resurrectionis suæ veritatem & majestatem demonstraverit, voluit confirmationis loco hanc ipsam Historiam subjicere, in qua congeries quædam talium *σημειῶν* proponitur. Christus enim, qui per resurrectionem in gloriam suam intraverat, discipulis sese videndum & conspiciendum denuò præbet: cum discipuli totâ nocte nihil cepissent, manè ad verbum Christi capiunt ingentem piscium copiam. Petrus ambulat super mare ac si arida; ambularet: cum antea nihil cibi fuisset in littore, di-

scipuli è mari advenientes inveniunt prunas, pisces & panem: rete centum & quinquaginta tribus magnis piscibus repletum ad littus trahitur absque ulla scissura. Hæc certè sunt præclara *σημεία*, quibus non solum resurrectionis suæ veritatem, sed & majestatem, in quam per resurrectionem intravit, manifestè comprobatur. Deinde cum Christus ante suam passionem promiserit discipulis, sese ipsis in Galilæa post resurrectionem appariturum Matth. 26. v. 32. Marc. 14. v. 28. quam promissionem Angeli ad mulieres repetunt Matth. 28. v. 7. Marc. 16. v. 7. imò Christus ipse ad eam revocat discipulos Matth. 28. v. 10. ideò Johannes non illas solum Christi apparitiones, quibus in Judæa resurrectionem suam Mariæ Magdalenæ ac discipulis suis testatam fecerat, describere voluit, sed etiam hanc ipsam, quæ juxta promissionem suam in Galilæa discipulis suis sese manifestavit. Quamvis enim illa Christi promissio principaliter & propriè concernat solennem illam & publicam manifestationem *coram plus quam quingentis fratribus* factam 1. Cor. 15. v. 6. tamen, cum hæc præsens illius *ἄεθροῦ*, ac velut præludium fuerit, ideò non immeritò etiam ad hanc manifestationem specialem Christi promissio refertur. Hæc rationes luculenter ostendunt, quare Johannes hanc Historiam præcedentibus voluerit annexam, ut non sit necesse, fingere ab alio quodam hoc caput esse additum. cum v. 24. hujus capituli disertè addatur. *Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc, ὅσας τὰς*. Cæterum huic Historiæ de manifestatione Christi ad mare Tiberiadis quidam præmittunt verba Matth. 28. v. 8. *Undecim autem discipuli abierunt in Galilæam*, quia enim mare Tiberiadis ad Galilæam pertinet, utique intelligitur discipulos prius abiisse in Galilæam, antequam Jesus ibi se illis ostenderet. Sed quia verba illa Matthæi à sequentibus admodum durè separantur, ideò concinnius est verbum *ἐπορεύθησαν* in forma hyperlytelici vertere, *profecti fuerunt*, ut per recapitulationem quandam ultima illi in Galilæa manifestationi præmissa intelligantur.

HISTORIA DE MANIFESTATIONE CHRISTI FACTA
DISCIPULIS AD MARE TIBERADIIS.

JOHANN. 21.

3. Μετὰ ταῦτα ἐφάνησεν ἑαυτὸν πάλιν ὁ Ἰησοῦς τοῖς μαθηταῖς ἐπὶ τῆς θαλάσσης τῆς Τιβεριάδος, ἐφάνησεν ὁ Ἰησοῦς.

1. Postea manifestavit se iterum Jesus discipulis ad mare Tiberiadis. Manifestavit autem sic.

2. H. 1111